ST 03

DISSERTATIO
AD
CAP. VENERABILEM, EXTRA, DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE.

Quam

Conſenſu Magnifici JCtorum Ordinis in illuſtri Academia Jenenſi

PRÆSIDE

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, ac Conſultiſſimo Viro

DN. JOHANNE STRAUCHIO,

Conſiliario Saxonico, ac Anteceſſore Clariſſimo,

Mæcenate & Præceptore ſuo æviternum devenerando,

Publicæ diſquiſitioni ſubmittit

FRIDERICUS HELM

Autor & Reſpondens.

In Acroaterio JCtorum horis conſuetis.

Ad diem Septembris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ

Typothetâ SAMUELE KREBSIO,

ANNO M DC LVII.

PERILLUSTRI ET GENEROSISSIMO COMITI ET DOMINO,

DOMINO

CHRISTIANO,

COMITI DE RANTZOV,

DOMINO IN BREITENBURG, EQVITI AVRATO, REGIÆ MAJESTATIS DANIÆ ET Norvvegiæ Conſiliario Intimo, Excelſiſſimo, Produci Holſatiæ & Slesvvici, Gubernatori & Præfecto Summo Steinburgi, Dithmarſiæ Auſtralis, & Langelandt, hodiè ejusdem Sereniſſimi Regis in Comitiis Electoralibus Francofurti Legato Eminentisſimo; Comiti & Domino meo Perclementi & Gratioſisſimo,

In Devoti Animi, Obſervantiæq; perennis Symbolum, hunc qualemcunq; ingenii fœtum humillimè offero ac dedico

Fridericus Helm.

Præfatio.

N*Uſquam eſt corpore, quamvis ubique nomine,* Ferdinandus III. Imperator Auguſtiſſimus, *in quo rei militaris ſcientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplar agendæ reipublicæ atq; omnium prærogativa virtutum conſtituta erant. Oſtendere hunc tantum Germanis fata, neq; ultra eſſe ſivere, quod à Deo commodatum, ad Deum quam citiſſimè redire oportebat. De electione igitur ſucceſſoris laboratur. Electores Francofurtum conveniunt de novo Rege & Imperatore conſtituendo ſolliciti. Nos verò in umbrâ Academica, dum hiſtoriam novæ electionis exſpectamus, veterem interim recolamus, quam repræſentat celeberrima & famoſa illa decretalis, cujus initium: Venerabilem x de Elect. & Elect. poteſt. Juvenis ſum, Juveni ignoſcere verum eſt.*

CAP. I.

In quo argumentum Epiſtolæ exhibetur ex ejus temporis hiſtoria: Tum epiſtola ipſa repræſentatur: denique œconomia ejus.

I.

PRæſens Epiſtola eſt Innocentii III. Pontificis, cui ante nomen, Johanni Lothario ex Comitibus Signiæ Patria Anagnini, Campani, Cœleſtini ſucceſſoris. Scripta eſt ad Ducem quendam Zaringiæ. Vitiosè enim in exemplaribus cum manu, tum prelo exaratis legitur: Carinthiæ, Zerangiæ, Laringiæ. Propius vero, Saringiæ. Ita enim, Z. noſtrum pronunciant exteri. Sed & Carinthiæ, ut quædam exemplaria, rectè habet, quod paulo infra. Fuit autem Dux iſte

Bertholdus hoc nomine IV. Familiam alii aliunde deducunt. *Lazius* à Comitibus Aventici, unde & Habspurgenſes Comites, Auſtriæque principes proceſſere, deducit *lib 8. de migrat. gent. p.m. 395.* Vide *Piſtorium* familiam horum Ducum è monumentis collectam repræſentantem in *Chronico Conſtantienſi p. 666.* Junge ſis *Gabrielem Bucellinum in Germania not. genealog. p. 55.* Horum Ducum Bertholdus, quem tertium numerant, obtinuit ab Henrico III. Imperatore Ducatum Sueviæ loco dotis poſt obitum Ottonis de Svinfurt: ſed filius Henricus IV. ſororem cum Ducatu Rudolpho Comiti Rheinfeldenſi tradidit. *Herman. Contr. ad ann. 1057. 1059. 1060.* facta Bertholdo ſpe de Carinthiæ Ducatu. Quo cum penitus quoque excidiſſet, quod eum Imperator cuidam ſuo agnato attribuerat *Schafnab. p.m. 164. n.30 Urſperg ann. 1057.* nil niſi titulum Ducis retinuit atq; à caſtro Zaringen, quam in Briſgoja ædificavit, Dux Zaringiæ vocatus eſt. Sed filius ejus, ad quem hæc decretalis, meliori fortuna uſus. Nam & valdè pecunioſus *Urſpergenſi* dicitur, & conditor urbis ac caſtri Briſacenſis *Lazio*, qui indidem adducit verſus hâc de re ſuper portam Briſacenſem, quos & *Nauclerus* affert.

II.

Cauſa, & occaſio, qua Innocentius epiſtolam hanc ad ducem Zaringiæ ſcripſit hæc fuit. Abierat ad plures Henricus, VI. rerum geſtarum gloria clariſſimus, relicto filio FRIDERICO, electo quidem in Regem, ſed immaturo tamen (4. enim annos natus erat) & ad capeſſenda reipublicæ gubernacula minus idoneo. Præviderat hoc Henricus: filium igitur fratri Philippo, quem ſui fecerat beneficii, donato poſt obitum Conradi, Sveviæ Ducatu, ante obitum commendat, eique regnorum adminiſtrationem committit, nec multò poſt rebus humanis valere dicit & plaudere.

III.

Mortuo igitur Imperatore, Philippus à Tuſcia, quem Ducatum Imperatoris beneficio poſſidere cœperat, regreſſus in Alemanniam id manibus, pedibusque agebat, ut Principes electionem Friderici ratam haberent, quod tabulis ſignatis

Henrico

Henrico patri jam ante promiſerant. *Otto de S. Blaſ. Urſperg. in Henric. VI.* & ſacramenti fide, *Godofred. Monach. ad ann 1196. Sigon. de Reg. Ital. l. 15. p. m. 357. n. 30. Aventin. l. 7. p. 55. H. Mutius lib. 19. p. 164. n. 50.* Conveniunt Ludovicus Dux Bavariæ, Bernhardus Dux Saxoniæ, Dietericus (*παρόραμα Peuceri* eſt Albertum nominantis, qui jam mortuus erat vivo Henrico Imperatore, nempe 1195.) Marchio Miſniæ, Epiſcopi Magdeburgenſis & Saltzburgenſis cum cæteris Baronibus & Epiſcopis per Thuringiam, Philippumque habito conſilio defenſorem imperii eligunt, quoad usque nepos ejus dudum tam ab ipſo, quam à cæteris Principibus electus in Alemanniam (in Apulia & Calabria tum verſabatur) veniret. *Otto de S. Blaſ. c. 46.* Deliberata hæc & tractata ſunt Haganoæ, conſilia gubernante Epiſcopo Argentinenſe, ſed interrupit rem Innocentius III. Pontifex reſcindens promiſſa Henrico facta, vetansque Principibus, ne Philippo imperium traderent. Moti igitur criminationibus Pontificis, Archiepiſcopi Colonienſis & Trevirenſis cum Henrico Palatino Rheni, & aliis Epiſcopis & Baronibus illarum regionum, non conſenſere in electionem, ſed Andernaci convenientes Ducem Bertholdum de Zaringen, quod eſſet pecunioſus, *Urſperg.* quem & multis largitionibus id impetraſſe refert *Mutius*, eligunt. Hic quia conſiliarii ejus electionem hanc probare nolebant, deliberaturum ſe promiſit, reditusque ſui certum diem conſtituit. Poſteà diffiſus ſibi ſponte deſtitit. Igitur Principes Philippi partium comitiis Mülhuſii celebratis imperium Philippo deferunt. Pontifex, cui cùm Bertholdo non ſucceſſerat, impellit Colonienſem & Palatinum, ut transferant imperium in Ottonem Henrici Leonis quondam Ducis Bavariæ & Saxoniæ filium. *Otto de S. Blaſ d. c. 46. Urſperg. in geſt. Phil.* Anathemate Papæ Philippo perculſo. Quam electionem & coronationem Ottonis ab Adolpho Colonienſi Archiepiſcopo factam Legatus Pontificius Guido Epiſcopus Præneſtinus approbat. Quare principes qui à partibus Philippi, ſuper facto legati Apoſtolici cum Pontifice per legatos expoſtulant. Literas Principum ad Pontificem ita exorſas fuiſſe, beneficio *Baronii* initium earum nobis communicantis, ſcimus. Reverendo in

Chriſto Patri, Domino Innocentio, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifici, Germaniarum Principes & Magnates in Chriſto filii, Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Trevirenſis Archiepiſcopus, Biſnutinæ ſedis Archiepiſcopus, Ratiſponenſis Epiſcopus, Friſingenſis Epiſcopus, Auguſtanus Epiſcopus, Conſtantienſis Epiſcopus, Eichſtetenſis Epiſcopus, Wormatienſis Epiſcopus, Spirenſis Epiſcopus, Brixinenſis Electus, Hildesheimenſis Epiſcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, Abbas Fuldenſis, Abbas Heswoldenſis, Abbas de Tergente, Abbas Elvacenſis: itẽ Rex Bohemiæ, Dux Saxoniæ, Dux Bavariæ, Dux Auſtriæ, Dux Moraviæ, Marchio de Raveſperg, alii Alemanniæ Nobiles: & infra: Magnitudini veſtrę duximus declarandũ, quod mortuo incluto noſtro Dn. Henrico, Romano Imperatore Auguſto, collecta multitudine principum illuſtrem Dn. noſtrum Philippum in Imperatorem Romani Solii ritè & ſolenniter elegimus, &c. Reliqua *Baronius* non addit *V. tom.10. Ann. 996. n. 60.* Factum ergò legati ſui Pontifex decretali defendit. *Godofr. Monach.* Ducem Zaringiæ jam partibus Philippi adhærentem admonens, ut Ottonis partes deſerto Philippo ſequatur. Ipſam itaque epiſtolam nunc ad verbum, tum ut legitur in decretalibus à *Raymundo* compilatis, tum ut ab *Antonio Auguſtino* & *Cujacio* emendata exhibetur à *GelWoldo* Conſiliario Bavarico tractatu de Septemvir. p. 66. repræſentabimus ἐκ παραλλήλου.

Editio RAYMUNDI.	*Editio CUJACII.*
Innocentius III. Duci Caringiæ.	*Innocentius III. Bertoldo Zaringiæ Duci.*
VEnerabilem fratrem noſtrum Salesburgenſ. Archiepiſcop, & dilectum filium abbatem de ſalen, & nobilem Virum, Marchionem Orientalem, quorundam Principum nuncios ad-	V*Enerabilem fratrem noſtrum Salzburgenſem Archiepiſcopum & dilectum fratrem Abbatem de Salona, & Nobilem Virum Marchionem Orientalem quorundam Principum nuncios ad-*

ad ſe. ap. deſtinatos benigne recepimus & eis benevolam duximus audientiam indulgendam : Literas quidem quas quidam per eos nobis Principes deſtinarunt, diligenter perlegi fecimus, & quæ in eis continebantur, notavimus univerſa. Inter cætera verò [quidam] Principes , hac præcipuè objectione ſunt uſi , dicentes quod Apoſtolicæ ſedis legatus aut Electoris geſſit, aut cognitoris perſonam. Si Electoris, in meſſem alienam miſerat falcem ſuam : Et electioni ſe ingerens, principum derogaverat dignitati : ſi cognitoris, abſente altera partium videtur perperã proceſsiſſe, cum citata non fuerit & ideò non debuit contumax judicari. Verum nos qui ſecundum Apoſtolicæ ſervitutis officium ſumus ſingulis in juſtitia debitores, ſicut juſtitiam noſtram nolumus ab aliis uſurpari, ſic jus principum nolumus nobis vendicare. Unde

ad ſedem Apoſtolicam deſtinatos benigne recepimus, & eis benevolam duximus audientiam indulgendam : literas quoq; quas per eos quidam nobis Principes deſtinarunt, diligenter perlegi fecimus & quæ continebantur in eis notavimus univerſa. Inter cætera verò quæ dicti Principes per eaſdem nobis literas intimarunt, hac præcipuè objectione ſunt uſi, dicentes : quod Venerabilis frater noſter Præneſtinus Epiſcopus : Apoſtolicæ ſedis legatus aut Electoris geſſit, aut cognitoris perſonam. Si electoris, electioni ſe ingerens, in alienam meſſem miſerit falcem ſuam, & principum derogaverit dignitati. Si cognitoris, abſente altera partium videtur perperam proceſſiſſe, cum ea citata nõ fuerit, & ideo nõ debuit contumax judicari. Verum nos, qui ſecudum Apoſtolicum ſollicitudinis officium ſumus ſingulis in juſtitia debitores; ſicut juſtitiam noſtram nolumus ab aliis uſurpari, ſic jus Principum nobis nolumus vendicare. Unde

illis

illis principibus jus & poteſtatem eligendi regem in Imperatorem poſtmodum promovendum recognoſcimus (ut debemus) ad quos de jure ac antiqua conſuetudine noſcitur pertinere, præſertim cum ad eos jus & poteſtas hujusmodi ab Apoſtolica ſede pervenerit, quæ Romanum imperium in perſonam Magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos. Sed & principes recognoſcere debent, & utiq; recognoſcunt, ſicut iidem in noſtra recognovére præſentia: quod jus & auctoritas examinandi perſonam electam in Regem & promovendam ad imperium ad nos ſpectat, qui eum inungimus, conſecramus, & coronamus. Eſt enim regulariter & generaliter obſervatum, ut ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quē impoſitio manus ſpectat. Nunquid enim ſi principes non ſolum in diſcordia, ſed etiam in concordia ſacrilegum quem-

illis Principibus, jus & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodùm promovendum recognoſcimus (ut debemus) ad quos de jure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere. Præſertim cum ad eos Jus & poteſtas hujusmodi ab Apoſtolica ſede pervenerit, quæ Romanum Imperium in perſonam Magnifici Caroli à Græcis tranſtulit ad Germanos. Sed & Principes recognoſcere debent & utique recognoſcunt, ſicut iidem in noſtra recognovêre præſentia, quod jus & authoritas examinandi perſonam electam in regem & promovendam ad Imperium, ad nos ſpectat, qui eum inungimus, conſecramus & coronamus. Eſt enim regulariter obſervatum ut ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Numquid enim ſi principes non ſolum in diſcordia, ſed etiam in concordia ſacrilegum quemcunque vel excommunicatum, tyrannum vel fatuum hæreticum in regem eligerent, aut paga-

cunque

cunque, vel excommunicatum in regem, Tyrannũ vel fatuum hæreticum eligerent, aut paganum: nos inungere, conſecrare ac coronare hominem hujusmodi deberemus? abſit omninò. Objectioni ergò Principum reſpondentes, adſerimus, quod Legatus noſter adprobando regem & reprobando Ducem, nec electoris geſſit perſonam, utpote qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit, nec cognitoris, cum neutrius electionem, quoad factum eligentium confirmandã duxerit, aut etiam infirmandam. Exercuit autem denunciatoris officiũ, quia perſonam ducis ejusdem indignam & perſonã Regis denunciavit idoneam, quoad Imperium obtinendum non tam propter ſtudia eligentium, quàm propter merita electorum, quamvis plures ex illis qui eligendi regem in Imperatorem promovendum de jure ac de conſuetudine obtinent po-

num, nos inungere, conſecrare ac coronare hominem hujusmodi deberemus? Abſit omninò. Objectioni ergò Principum reſpondentes, aſſerimus, quod Legatus noſter Epiſcopus Prænestinus approbando Kariſſimum in Chriſto filium noſtrum regem Ottonem & reprobando Philippum ducem Sveviæ, nec Electoris geſſit perſonam juxta quod nobis per literas ſuas quidam Principum opponebant: utpote qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit: & ſic electioni ſe nequaquam ingeſſit: nec cognitoris perſonam exhibuit, cum neutrius electionem, (quoad factum eligentium) confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam. Et ſic jus ſibi Principum nullatenus uſurpavit, aut venit contra illud. Exercuit autem denunciatoris officium, qui perſonam Ducis ejusdem denunciavit non idonean quoad imperium obtinendum, non tam propter ſtudia eligentium, quàm propter merita Electorum. Quamvis plures ex illis, qui eligendi re-

teſta-

teſtatem, conſenſiſſe perhibeantur in ipſum Regem, & ex eo quod fautores ducis, abſentibus aliis & contemptis, ipſum eligere præſumpſerunt, pateat eos perperam proceſſiſſe, cum electioni plus contemptus unius, quàm contradictio multorum obſiſtat: Unde privilegium meruerunt amittere, qui permiſſa ſibi abuſi ſunt poteſtate. Videri non immeritò poteſt, quod injuria hujusmodi non obſtante cæteri uti poterant jure ſuo. Et quoniam dux prædictus, nec ubi debuit, nec à quo debuit, coronam & unctionem accepit, memoratus verò rex & ubi debuit, videlicet Aquisgrani: & à quo debuit, ſc. à venerabili fratre noſtro Colonien. Archiepiſcopo utrumque recepit. Nos utique non Ducem, ſed reliquum reputamus & nominamus regem juſtitiâ exigente. In reprobatione verò præfati Philippi Ducis Sveviæ & propter manifeſta impediméta

gem in Imperatorem promovendum de jure ac conſuetudine obtinent poteſtatem, conſenſiſſe perhibeantur in ipſum Regem Othonem: & ex quo fautores Philippi, abſentibus aliis, & contemptis, ipſum eligere præſumpſerunt, pateat eas perperam proceſſiſſe. Cum explorati ſit juris, quod electioni plus contemtus unius quàm contradictio multorum obſiſtat. Unde privilegium meruerunt amittere, qui permiſſa ſibi abuſi ſunt poteſtate, videri non immerito poteſt, quod hujusmodi injuria non obſtante, cæteri uti poterant ſuo jure. Et quoniam dux prædictus, nec ubi debuit, nec à quo coronam & unctionem accepit, memoratus verò Rex & ubi debuit, videlicet Aquisgrani: & à quo debuit, ſc. à venerabili fratre noſtro Colonienſi Epiſcopo recepit utrumque. Nos ergò non Philippum, ſed Othonem reputamus & nominamus regem juſtitia exigente. In reprobatione verò præfati Philippi Ducis Sveviæ, propter manifeſta impediméta

perſona

perſonæ, non accuſatione ſed condemnatione potius fuit opus, quia non accuſatione, ſed damnatione indigent manifeſta. Quod autem cum in Electione vota principum dividuntur poſt admonitionem & expectationem alteri partium favere poſſumus, maximè, poſtquam à nobis unctio, conſecratio & coronatio poſtulantur, jure patet pariter & exemplo. Numquid enim ſi principes admoniti & expectati vel non potuerunt vel noluerunt in unum propoſitum convenire, ſedes Apoſtolica advocato & defenſore carebit: eorumq; culpa ipſi redundabit in pœnam? Sciunt autē principes, quod cum Lotharius & Conradus in diſcordia fuiſſent electi, Roman. Pontif. Lotharium coronavit, & obtinuit coronatus, eodem Conrado tum demum ad ejus gratiam redeunte. Eos igitur duximus commonēdos, ut à præfato duce juſto quidem à nobis judicio re-

perſonæ, non accuſatione, ſed condemnatione indigent manifeſta. Quod autem cum in electione vota principum dividuntur, poſt admonitionem & expectationem, alteri partium favere poſſumus, maximè poſtquam à nobis unctio, conſecratio & coronatio poſtulantur, ſicut utraque pars à nobis multoties poſtulavit ex jure patet pariter & exemplo. Numquid enim ſi principes admoniti & expectati vel non potuerint vel noluerint convenire, Apoſtolica ſedes advocato & defenſore carebit? eorumque culpa ipſi redundabit in pœnam? ſicut autem Principes & tua nobilitas non ignorat, quod cum Lotharius & Conradus in diſcordia fuiſſent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronavit, & Imperium obtinuit coronatus, eod. Conrado tum demum ad ejus gratiam redeunte. Nos ergo per nuncios Principum memoratos eos duximus commonendos, ut ſicut nos à juris ipſorum ceſſamus injuria, ſic ipſi

probato recedant: & præfato regi non abnuant adhærere: niſi tum demum contra perſonam vel factum legitimum, quid ab eis objectum fuerit & oſtenſum: Sunt enim notoria impedimenta ducis, ſcil: excommunicatio publica, perjurium manifeſtum, & perſecutio divulgata, quam progenitores ejus & ipſe præſumpſerunt in Apoſtolicam ſedem, & alias Eccleſias exercere. Fuit quoq; à præd. noſt. excommunicationis vinculo innodatus, quod poſtmodũ recognovit, tum per nuncium ſuum abſolutionis beneficium poſtulavit: unde patet, quod ipſe fuit excommunicatus electus. Et videtur non immeritò, quod adhuc ſit ex ead. excommunicationis ſententia innodatus, cum prædictus epiſcopus cum ſua auctoritate non poſſet abſolvere, auct. verò noſtræ delegationis, nec poſſet plus nec aliter liceret hoc ipſi, quàm ei fuerat

contra in jus noſtrum ſe nequaquam injurioſos oſtendant: ſed à præfato duce, juſto quidem à nobis judicio reprobato recedant, & præfato Regi Othoni non abnuant adhærere; niſi tum demum, cum contra perſonam ejus vel factum, legitimum aliquid objectum fuerit & oſtenſum. Sunt enim notoria impedimenta ducis Sveviæ ſc. excommunicatio publica, perjurium manifeſtum & perſecutio divulgata quàm progenitores ejus & ipſe præſumpſerunt in Apoſtolicam ſedem & alias Eccleſias exercere. Fuit enim à bonæ memoriæ Celeſtino Papa, prædeceſſore noſtro, propter invaſionem & devaſtationem patrimonii beati Petri, commonitione ſæpius præmiſſa, publicè & ſolenniter vinculo excommunicationis innodatus, cum in Tuſcia moraretur quod ipſe poſtmodum recognovit, tum per nuncium ſuum ab ipſo prædeceſſore noſtro abſolutionis beneficium poſtulavit: & poſtmodum à Sutrino Epiſcopo, quem tunc cum

ab

ab Apoſtolica ſede conceſſum, ex eo etiam excommunicationis ſententię ſubjacere creditur manifeſte: quod cum perfidus Morenaldus (al. Marcoandus) Dei & Eccleſiæ · inimicus cum univerſis fautoribus, tam Teuthonicis quàm Latinis excommunicationis vulgatæ vinculis, ſuæ iniquitatis meritis ſit aſtrictus, ſicut etiam illi per literas noſtras directas per P. judicem Placentinum ipſius Philippi nuncium intimaſſe meminimus, quos ad ipſius Philippi audientiam credimus perveniſſe. Ipſe nihilominus, quamvis id non tantùm ex relatione ipſius judicis, ſed etiã per publicã famam ad notitiam devenerit, eidem excommunicato non ſolum communicat, ſed eum in malitia ſua vovet, & per nuncios & per literas ſuas exercuit vel exacuit furorem ipſius ut Chariſſ. in Chriſto filio noſtro F. Siciliæ regem illuſtrem nepotem ſuum, quem jam priva-

Abbate ſancti Anaſtaſii pro liberatione venerabilis fratris noſtri ſalisnitan: Archiepiſcopi nos in Teutoniam miſeramus, contra formam mandati noſtri de facto ſolummodo, quia de jure non potuit, poſt ſuam electionem apud Wormatiam occulte ſe fecit abſolvi. Unde patet quod excommunicatus electus: & videtur non immeritò, quod adhuc ſit ex eadem cauſa excommunicationis ſententiæ innodatus, cum prædictus Epiſcopus eum authoritate ſua non poſſet abſolvere, authoritate verò noſtræ delegationis nec plus nec aliter liceret hoc ipſi, quam quod ei fuerat ab Apoſtolica ſede conceſſum. Ex eo etiam excommunicationis ſententiæ ſubjacere creditur manifeſtè, quod cum perfidus Marcoaldus DEI & Eccleſiæ inimicus cum Univerſis fautorib. tam Teutonicis quàm Latinis excommunicationis vulgatæ vinculis ſuæ iniquitatis meritis ſit adſtrictus (ſicut jam vobis per literas noſtras, directas per P. judicem Placentinum ipſius

vit hæreditate paterna adhuc privet poſſeſſione materna.

Idem etiam contra proprium juramentum, ſuper quo nec conſilium à ſede Apoſt. requiſivit, ambitionis vitio, regnum ſibi uſurpare præſumpſit, cum ſuper illo juramento prius Romana Eccleſia conſuli debuiſſet. Nec valet ad plenam excuſationem ipſius, ſi juramentum illud dicatur illicitum, cum nihilominus ſuper eo nos prius conſulere debuiſſet, quàm contra ipſum

Philippi nuncium intimaſſe meminimus, quas ad ipſius Philippi audientiam credimus perveniſſe) nihilominus, quamvis id non tantùm ex relatione ipſius ſed etiam per publicam famam ad notitiam eius devenerit, eidem excommunicato non ſolum communicat, ſed eum in malitia ſua fovet, & per nuncios & literas ſuas exacuit furorem ipſius, ut Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Fridericum Regem Siciliæ, Illuſtrem nepotem ejus, quem jam hæreditate paterna privavit, adhuc privet poſſeſſione materna.

Idem etiam contra proprium juramentum, ſuper quo nec conſilium à ſede Apoſtolica requiſivit, ambitionis vitio regnum ſibi uſurpare præſumpſit, non alium causâ neceſſitatis in regem eligere, quod utique tolerabilius videretur, cum ſuper illo juramento Sedes Apoſtolica prius conſuli debuiſſet, ſicut & eam quidam conſuluére prudenter, apud quam ex inſtitutione dominica plenitudo reſidet

propria

propria temeritate venire: præſertim illo exemplo, quod cum Gabaonitæ à filiis Iſrael per fraudem ſubripuerint juramenta: ipſi tamen cognita fraude, contra illud venire temere noluerunt. Utrum verò dictum juramentum ſit licitum vel illicitum, & ideo ſervandum; an non ſervandum extiterit, nemo ſanæ mentis ignorat ad noſtrum judicium pertinere. Quod autem Philippus de genere perſecutorũ exiſtat, principes non credimus dubitare, cum Henricus qui primus imperium de genere ipſius hoc accipit bo. me. Paſchalem pp. p. noſtrum cum Epiſcopis & Cardinalibus & multis nobilibus Romanorum præſumpſerit captivare. Fredericus autem pater ipſius Philippi contra fel. recordationis Alexandrum papam p. n. longo tempore ſchiſma fovit. Henricus frater ipſius Philippi, qualiter ſe habuit circa interfectores ſanctæ me-

poteſtatis. Nec valet ad plenam excuſationem ipſius, ſi juramentum illud dicatur illicitum: cum nihilominus ſuper eo nos prius conſulere debuiſſet, quam contra ipſum propriâ temeritate venire illo præſertim exemplo: quod cum Gabaonitæ à filiis Iſrael per fraudem ſurripuerint juramentum, ipſi tamen cognita fraude, noluerunt contra illud ſua temeritate venire. Utrum verò dictum juramentum licitum ſit an illicitum & ideò ſervandum aut non ſervandum extiterit, nemo ſanæ mentis ignorat ad noſtrum judicium pertinere. Quod autem Philippus de genere perſecutorum exiſtat Principes non credimus dubitare: Cum Henricus qui primus imperium hoc de genere accepit, Paſchalem Papam prædeceſſorem noſtrum, cum Epiſcopis & Cardinalibus multis Romanorum præſumpſerit captivare. Fridericus verò pater ipſius Philippi contra felicis recordationis. A. Papam prædeceſſorem noſtrum longo

moriæ

moriæ A. Lodien (Longon) Epiſcopi quem ipſe prius coëgerat exulare, ac Corradum qui Hoſtienſem Epiſcopum ceperat, ſatis noſtis. Quin etiam qualiter Ven. F. n. Auximianum Epiſcopum alapis cædi fecerit & pilos de barba ejus avelli, & tractari eum in pluribus inhoneſtè, qualiter & quosdam familiares Eccleſiæ naſo fecerit mútilari. Qualiter quoque prædictum Salernitanum Archiepiſcopum captivari, & quosdam viros Eccleſiaſticos flammis torreri fecerit, quosdam verò viros in mari ſubmergi, ad tuam & aliorum principum credimus audientiam perveniſſe. Inſuper ſi prædictus dux imperium obtineret, libertas principum in electione periret, & imperium obtinendi de cætero cæteris fiducia tolleretur, nam ſi prout olim frater dicti ducis patri eorum, ſi dux ipſe fratri ſuo ſuccederet, videretur imperium non ex electione, ſed ex ſucceſſione

tempore ſchiſma fovit: Henricus frater ipſius Philippi qualiter ſe habuerit circa interfectores ſanctæ memoriæ A. Leodienſis Epiſcopi, quem ipſe prius coëgerat exulare, ac Corradum qui Hoſtienſem Epiſcopum cæperat, ſatis noſtis, qui & qualiter venerabilem fratrem noſtrum Auximianum Epiſcopum alapis cædi fecerit, & pilos de barba ejus avelli, & tractari eum in pluribus inboneſtè, qualiter quoque quosdam familiares Eccleſiæ Romanæ naſo fecerit mutilari, qualiter prædictum S. Archiepiſcopum captivaverit, & quosdam viros Eccleſiaſticos flammis torreri fecerit, quosdam verò viros in mare ſubmergi ad tuam & aliorum Principum credimus audientiam perveniſſe. Inſuper ſi prædictus Dux (quod abſit) Imperium obtineret, libertas Principum in electione periret, imperii obtinendi de cætero cæteris fiducia tolleretur. Nam ſi prout olim Fridericus Corrado, vel Henricus poſtmodũ Friderico,

deberi

deberi, & in præjudicium principum redundaret, ſi non niſi de domo ducis prædicti videretur aliquis ad imperium adſumendus. Cum ergo nos flecti à propoſito noſtro nulla penitus occaſione poſſimus, ſed in eo potius firmiſſimè perſiſtamus, & tu nobis ſæpè per literas tuas duxeris ſuggerendum, ut eidem duci nullatenus faveremus. Nobilitatem ergo tuam monentes per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus à præfato Duce recedas omnino, non obſtante juramento, ſi quod ei ratione regni feciſti, cum (eo quantum ad obtinendum imperium reprobato) juramentum hujuſmodi non debeat obſervari.

ſic nunc Fridericus Philippo, vel Philippus Henrico ſuccederet: videretur Imperium non ex electione, ſed ex ſucceſſione deberi. Præterea cum multi Principum ex imperio æquè ſint nobiles & potentes, in eorum præjudicium redundaret, ſi non niſi de domo ducum Sveviæ videretur aliquis ad imperium adſumendus. Cum ergo nos flecti à noſtro propoſito nulla penitus occaſionem poſſimus, ſed in eo potius firmiſſimè perſiſtamus & tu nobis ſæpe per litteras tuas duxeris ſuggerendum, ut eidem Duci nullatenus faveremus. Nobilitatem tuam admonemus & exhortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſicut de gratia noſtra confidis & nos de tua devotione ſperamus, de cætero à præfato Duco Philippo recedas omnino, non obſtante jutamento, ſi quod ei ratione regni feciſti, cum (eo quantum ad obtinendum Imperium reprobato) juramentum hujuſmodi non debeat obſervari: Prædicto verò regi

Othoni, quem nos (concedente Domino) ad coronam Imperii diſponimus evocare, patenter adhæreas, & potenter: ut cum ei ad commonitionem noſtram adhæſeris, inter primos gratiam & benevolentiam ejus obtinere præcipuè merearis, ad quod pro tuæ nobilitatis honore operam dabimus efficacem.

IV.

Non autem ad ſolum Zaringiæ Ducem ad hanc formam ſcripſit: ſed ad plures alios, & nominatim, ad Philippum Galliæ, Johannem Angliæ Reges, Electum, & Capitulum Hildeshemenſe, Patriarcham Aquileienſem, Archiepiſcopos Trevirenſem, Bremenſem, Saltzburgenſem, Magdeburgenſem, Colonienſem, Cantuarienſem, Albertum Comitem de Taisburg, Comitem de Vianâ, Gvarnnerum de Bolland, Godefridum de Appelſtein, & alios quam plurimos Barones, ut videre eſt libro 3. Epiſtol. Inno: epiſt. 33. usque ad 57.

V.

Cæterum œconomia totius epiſtolæ hæc eſſe videtur. Primò pertinet ad genus cauſarum, quod Rhetores juridiciale appellant. Continet enim intentionem Principum, & depulſionem Pontificis. In quo cauſarum genere, cum quatuor ſtatus ſpecies numerent artifices, horum ille in hac epiſtolâ locum habet, quem qualitatis appellant, tamque abſolutus, quàm aſſumtivus. Epiſtola tribus partibus conſtat exordio, cauſæ ſtatus tractatione & concluſione.

Exordium præparat Ducis Bertoldi animum ad benivolam audientiam, exponendo comitatem Pontificis, quam exhibuit, benignè Principum nuncios recipiendo, benivolè audiendo, literas diligenter perlegendo, & contenta notando. Definit ergo exordium in verbis *notavimus univerſa.*

Status cauſæ tractatur primò intentionem Principum repetendo,

tendo, qui à Philippi partibus ſtabant, Intentio: Legatus Pontificis nullo jure ſe immiſcuit electioni Regis R.

Deinde depulſione Pontificis. Sumitur illa in hac epiſtola tum ex ſtatu abſoluto, tum aſſumtivo. Ille ſtatus continet partim confirmationem: Imò jure egit Legatus quia jus & auctoritas examinandi perſonam electam pertinet ad pontificem. Probatur: Quia Pontifex Regem inungit, conſecrat, coronat. Quæ ratio confirmatur ab abſurdo, verſ. *numquid enim ſi &c.* Partim confutationem intentionis, verſ. *objectioni &c.*

Status aſſumtivus tribus partibus abſolvitur. Prima Græcis magiſtris ἀντίστασις, ubi factum noſtrum præfertur adverſarii facto. Ait ergo Pontifex, rectè rejectum Philippum, quia Otto plura habuit ſuffragia, quia Philippi electio ipſo jure nulla, præteritis & contemtis iis, qui jus eligendi habebant: quia Pilippus non ubi debuit, nec à quo debuit, coronam & unctionem accepit.

Altera pars Græcis κατέγκλημα, cum in adverſarium ipſum confertur culpa, tractatur verſ. *ſunt enim notoria*, &c. Nec omittit Pontifex tertiam ſpeciem, μετάστασιν, ubi excuſatur factum, & ſatius fuiſſe oſtenditur, hoc factum fuiſſe, quod proponitur verſ. *inſuper ſi prædictus* &c. Quibus ſubjicitur concluſio, Zaringiæ Ducem animans ut ſequatur Ottonianam factionem.

CAPUT II.

Quod proponit exegeſin Exordii.

I.

Ergò, ut Pontifex nihil præter officium egiſſe videretur, in exordiô facilitatem in adeundo ſuam, quam Calliſtratus *lib. 1. de cognitionibus in l. 19. de off. Præſ.* Præſidibus commendat, & audientiæ patientiam, quam Imperator Proconſulibus ab Ulpiano *lib. 1. de off. Proconſulis, in l. 9. §. 2. de off. Proconſ. & Leg.* Bertoldo Duci prædicat, oſtendens ſe quorundam Principum nuncios benignè recepiſſe. Eosque nominat, ſcilicet *Archiepiſcopum Saltzburgenſem*. Erat is hóc tempore Adalbertus, Ladislai, Regis Bohemiæ Filius, circa hoc tempus ſedi ſuæ, ex quâ hactenus fuerat expulſus,

 intrusô

intruſô Conradô, Comite de Witelsbach, reſtitutus. Siquidem legatio Principum ad Pontificem anno 1199. facta. Habet hæc de Conradô Chronicon Moguntin. *tom. 1. Urtiſii. p. 573* ubi perperam in margine notatur, hunc Conradum rectius Sabinenſem, quàm Saltzburgenſem dici. Vide *Aventinum lib. 6. p. m. 515. Hund. Metrop. Saliſb. p. 10. n. 32. Reineſium Virum & de tota antiquitate, & de me optimè meritum, Variar. lib. 2. p 263.* Appellat hunc Pontifex *fratrem* ſuum *venerabilem*. Fratrum appellatio in primitivâ Eccleſiâ communis Chriſtianorum inter ſe fuit, & fraternitas ipſe Chriſtianorum cætus dictus. *Hieron. adv. Helv. tom. 2. c 8. Omnes Chriſtiani fratres vocamur. Baſilius M.* homiliâ *in Lacizis, πάντες συγγενεῖς, πάντες ἀδελφοὶ. Auguſt. de diſc Chriſt. c. 1. Athenag. apolog. pro Chriſt. p. 41. Tertull. apol. c. 39. Minut. Felix octav. p. m. 36.* Cujus nomenclaturæ, quod Gentilibus infamis, apologiam dant, quos dixi, *Tertull. Athenag. Minutius, Juſtinus ad Anton. Pium.* Erant enim hæc nomina Gentilibus inter laſciva, ut vel ex *Petronio* & *Martialis* illô:

Fratrem te vocat, & ſoror vocatur,
Cur vos nomina nequiora tangunt?

liquet. Vide Wouwerum *ad Minutium.* Cæterùm hodiè Pontifex Romanus ſolos Archiepiſcopos ita compellat. Addit, *Venerabilem.* Quem morem titulis ſeſe ſalutandi cæpiſſe à temporibus Conſtantini Magni, ait Pancirollus *theſ var lect. 1. c. 1.* quod *Bernardinus Ferarius lib. 3 de Epiſt. Eccl. genere c. 1.* iisdem penè verbis affirmat. Inprimis titulus, Venerabilis, Epiſcopis inter ipſos erat communis. Etiam Romano, antequam audire cœpiſſet, Summus Pontifex, Epiſcopus Univerſalis, ſummus Sacerdos, Pontifex, maximus. Nam inde Epiſcopis reliquis venerabilium proprius honor manſit. Ferrar. de Eccl. epiſt. lib. 3. c. 1.

II.

Alter ex nunciis fuit *Abbas*: Cujas ille? Vulgò legitur de *Salonâ*, *Solonia.* Eſt hujus nominis urbs in Provinciâ inter Avenionem Cavarum & Maſſiliam. Eſt & Dalmatiæ alia, Stephano etiam notata, capta ab Aſinio Pollione, unde filius

ejus

ejus Saloninus. Sed nihil ad hanc rem geſtam illæ. Quid enim Dalmaciæ cum Philippo? Cur Abbas hujus, quàm Pontificis potius ſequuturus fuiſſet partes? Et quis Abbatiam Salonæ fuiſſe præſtabit? In editione à Raymundo curatâ Decretalium Gregorii XIII. legitur de Salen. Sed Schardius, de Salomona, habet. Quarum lectionum etſi neutra vera, veræ tamen proximæ ſunt, & ad veram ducunt. Certum eſt, Abbatem, fuiſſe unum ex Germaniâ, & veriſimile, ex Alemanniâ ſeu Sveviâ, qui Philippi partes ſequeretur. Non igitur dubium, quin fuerit Abbas Cœnobii Salem, quod ſuadet Raymundana lectio, aliàs Salomonis villa, vulgò Salmons Weyler/ in ſuperiore Alemanniâ, Conſtantienſis Diœceſeos, ad lacum Botamicum; Is erat tum temporis Eberhardus de Rhordorff. *Gab. Bucell. d. l.* quem Pontifex *dilectum* ſuum *filium* nuncupat. Hoc enim ex ſtylô Curiæ eſt indigitamentum Abbatum & Abbatiſſarum, ùt ex infinitis ferè locis epiſtolarum pontificalium videre eſt. Honorius III. Epiſcopo Briocenſi, Sainct Brieu, in compilatione *V. lib. 1. tit. 16.* ita: *Dilectus filius Abbas Monaſterii Rothonenſis.* Item *cap. XII. Extra de Maj. & ob.* Idem Honorius Abbati S. Michaelis Halberſtadenſis (ita enim corrigendum, pro, *Abradenſis*) diœceſis. *Dilecta filia in Chriſtò Abbatiſſa* de *Bubringen*, ùt vulgò, ſed perperam ibi ſcribitur. Vera lectio eſt, de Quedlinburgen, ùt habetur in compilatione V. In eâdem compilatione *tit. 14. cap. 3. Dilecti filii Abbas & conventus Monaſterii* &c. & *lib. 3. tit. 8. c. 2. Dilecto filio, Ruffo Abbâte S. Mariæ de Carra.* Mendum igitur eſt Gevoldianæ & Schardianę lectionis, qui dilectum Fratrem, præferunt, quô nomine Pontifex Abbates non dignatur. Satisq; præclarè cum his agit Pontifex, quibus honorem Filiorum defert, communem cum Potentiſſimis ſecularibus Principibus. Sic Innocentius X. in Bullâ ſuâ, quâ pacem Germaniæ abrogare anniſus eſt, Imperatorem & Regem Franciæ filios ſuos vocat chariſſimos, Idem & Alexander VII. ſucceſſor in literis ſuis circularibus fecit. Res notiſſima.

III.

Poſtremus nunciorum ex ordine ſecularium fuit *Marchio*

quidam orientalis, quem Pontifex *Nobilem virum*, Schardii editio Notabilem, errore forſan Typographorum, uſurpat. Nobilis, florente Romanâ re ille dicebatur, qui Magiſtratum curulem geſſerat. Huic enim jus imaginum (quas Poetæ ceras appellant, quia nil aliud erant, quàm capita pectore tenus è cerâ effigiata) competebat. Hinc Svetonius, oſtenſurus Veſpaſiani Majores nullos Magiſtratus curules geſſiſſe, vocat gentem obſcuram, & nullis imaginibus claram: eoq; nobiliores illi cenſebantur, quorum atria pluribus imaginibus ornata erant. In funere potiſſimum pompa illa ſpectabatur: Præferebantur enim tùm imagines illæ, qui honor & mulieribus habitus, ſi modò Majores earum curulem aliquem Magiſtratum geſſiſſent. Sub Imperatoribus nomen etiam clariſſimum fuit. Sic in *l 3. ff. de Natal. reſt.* ſanctiſſimus & Nobiliſſimus Imperator vocatur. In *l. 11. C. de Transact.* Majeſtatis deſignatus heres Valerianus, Nobilis Cæſar vocatur. Poſt Conſtantinum inclinante Imperiô, cum pueri, imò infantes Coſſ. proclamarentur, contra inſtituta Majorum, Nobiliſſimi pueri dicti ſunt. Multa ejus rei exempla. Quædam afferemus. Gratianus Conſul collega Dagælapho, cùm annorum eſſet quaſi ſeptem NB. P. Nobiliſſimus puer dicitur, in *C. Theod. l. 6. ad SCt. Claud. l. 9. de div. offic. & apparit. l. 9. de accuſ. & inſcript.* Valentinianus annos natus tres Coſ. cum S. Aurelio Victore NB. P. Nobiliſſimus puer dicitur, *l. 7. C. Theod. de Med. & Profeſſ. l. 2. de centonar & dendroph. l. 6. de legat. & decret. legat.* Vide Μουσεῖον *illud* περιπατοῦν, καὶ βιβλιοθήκην ἔμψυχον, *Dn. Reineſium, variar. lect. lib. 2 c. 15.* Quin etiam Principum filiæ & ſorores hôc titulô gaudebant, *l fin. C. de he delut. condend.* Imò ipſæ Auguſtæ ita indigitabantur. Videatur *Janus Meurſius* in Gloſſar. Græcobarbar. in Νωβελίσιμος, & *Jacobus Gutherius* de officiis Dom. Auguſtæ.

IV.

Cæterum, Marchionis vox, ut notum eſt, à marca, vel marcha, id eſt finibus Imperii dicitur. Quæ vox cum prius limen, termini ſignum vel notam ſignificaret, latius poſteà extenſa fuit, ad ſignificandam totam aliquam provinciam, quà

quâ Imperium terminaretur. Inde Marchio, ceu præſes limitaneus erat, qui aſſiduè ad Imperii limites excubabat in armis, populisque, quos armis defendebat, adverſus vicinos hoſtes, jura dabat. His præfectis limitaneos Romanorum quidam comparant, de quibus in *l.* viros ſpectabiles, *§. C. de diverſ. off. lib. 12.* Certè fuere ſimiles Ducibus limitaneis Romanorum, de quibus præclarè *Lazius de Rep. R. lib. 2. c. 9.* Græcis λιμενάρχαι. Confer *Voſſ. de vit. ſerm. lib. 2. p. 242. Lindebrogii* gloſſarium, *Beſold.* theſ. pract. in Marggraff. *Spangenberg.* Adelſpiegel. lib. 10. c. 19. *Joach. Vadian.* antiq. p. m. 91.

V.

Sed quis Marchio ipſe orientalis? Quod genus? Unde domo? Equidem, qui notas Godofredo, Monacho S. Pantaleonis addidit, ni fallor, Frehærus, Marchiones Orientales, quorum meminit Godofredus ibi eâdem hac hiſtoriâ, exponit, Auſtriæ. Et ſatis notum eſt, Auſtriam olim Marchiam orientalem fuiſſe, quod limes eſſet regni orientalis, partis illius alterius ſcilicet, in quas Regnum Francorum tum erat diviſum. Sed quo minus intelligi poſſit Auſtriæ Princeps, facit, quod is jamdudum Marchionis titulum cum dignitate Ducis commutaverat, tempore ſcilicet Friderici primi, ut tradit *Otho Friſingenſis de geſt. Frid. lib. 2. c. 32.* Alia ergo, nec multum fortè, quærenda Marchia orientalis. Ita certè hoc tempore Luſatia inferior dicebatur, ut docet P. *Albinus, Chronico Miſnico, c. 15. p. 188.* auctoritate cum veterum documentorum, tum *Conradi Lauterbergii.* Ergò fuit hic Marchio Dietericus, Alberti, quem *Peucerus* nominat, frater, Othonis divitis filius. Vide *Fabricium orig. Saxon. lib. 5. p. m. 562.* Ille ipſe, qui Lipſiam, ſuæ ditionis urbem res novas tum molientem, muris nudavit, tribus arcibus, ſeu munimentis compeſcuit, privilegia ademit. Vide *Peifer.* in Lipſ. armatâ MSt.

CAPUT III.

De cauſæ ipſius tractatione.

I.

Ἄνευ προοιμίου olim in Areopago, καὶ ἐπιλόγου καὶ παθῶν jubebantur dicere: *Pollux Onomaſt. lib. 8. c. 10.* Non ſic

Innocen-

Innocentius noſter: Captavit jam benivolentiam eò, quod Principum Legatos benignè ſe recepiſſe; eos audiiſſe, literas Principum perlegiſſe ſcripſit: Jam acceſſum facit ad ipſum rei caput, intentionem ſcilicet Principum repetendo, & ad eam reſpondendo. Contendebant Principes, Legato Pontificis (quem ſupra diximus Gvidonem fuiſſe, Epiſcopum Præneſtinum. Unum ſcilicet ex illis, qui Lateranenſi Eccleſiæ ſunt aſſignati, numero ſeptem, qui ſtatis diebus ſinguli coram Pontifice celebranti aſſiſterent, atque ea propter Epiſcopi Cardinales appellantur. Sunt autem hi Epiſcopus Oſtienſis, Portuenſis, SS. Ruffinæ & ſecundæ, aliàs ſylvæ candidæ; Sabinus; Præneſtinus, Tuſculanus; Albanus,) nullas fuiſſe in causâ electionis partes. Si quæ enim ſint, vel fuiſſe poſſint, aut Electoris aut cognitoris fuiſſe. Sed fuiſſe neutras. Non Electoris. Hoc enim officium ſpectare ad Principes, non ad Pontificem, niſi falcem in alienam meſſem mittere velit. Nec fieri id poſſe, quin dignitati Principum derogetur. Falcem in alienam mittere prohibere debebat Pontificem ejusque legatum can. 1. cauſ. 6. q. 3. itemque cap. nullus. 3. X. de paroch.

II.

Sed fortè cognitori ei eſſe jus fuit. Negant Principes & hoc. *Cognitoris*, id eſt, judicis, in approbando Othonem & rejiciendo Philippum. Eodem ſenſu vox cognitoris eſt apud *Symmachum* 2, 10. *ſed intelligere ceſſurum ſibi aliquid ad promerendum ſtudium cognitoris, ſi meis literis fulciatur:* lib. 6. ep. 22. *impetratum quippe eſt ab altero cognitore, ne impune ſit quod deſignavit apparitor:* lib. 9. ep. 31. *& cum ornares ante tribunalia defenſor poſt cognitor jurgiorum talis advocationis errori plerumque reſtitiſti.* Exſtat etiam in *l. 5. C. Theod. ad L. Jul. repet.* Aliquando tamen & cognitor eſt defenſor, qui cauſſam rei præſentis ſuſcipit & tuetur ut ſuam. *Aſcon. Pædian. in Verr.* Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, ſi Orator eſt, aut advocatus, ſi aut jus ſuggerit, aut præſentiam commodat amico, aut procurator, ſi negocium (*Hotomannus* deeſſe hic ait verbum abſentis) ſuſcipit, aut cognitor ſi in præſentis cauſam venit, & ſic tuetur ut ſuam; unde cognitorem dicit *Cicero* familiariſſimum defen-

defenſorem Idem alio loco : hoc genus defenſoris in jure cognitor dicitur, maximè cum de alicujus ſtatu quæritur. Exemplo declarat *Donatus in Terentium*, Eunuch. 4. ſc. 7. ubi cum Chremes dicit; Principio eam dico eſſe liberam, civem Atticam, meam ſororem, in tria, inquit, diviſit, officium defenſionis ſuæ: in aſſertoris: Principio dico eam eſſe liberam: in cognitoris, civem Atticam: in fratris, meam ſororem. At cur non potuit Legatus? Quia ſic abſente alterâ parte Philippo ſcilicet, & nec citatâ quidem proceſſiſſet perperam. Et ideo ex causâ contumaciæ non debuit damnari. Quod abſente alterâ parte procedi non poſſit ipſe Innocentius. III. reſcripſit Abbati & Conventui S. Sylveſtri in c. Eccleſiâ. 10. X̄. de Conſtit. quod à Senatore factum fuerat in præjudicium monaſterii, non conventi, nec confeſſi, vel convicti, in irritum eſſe revocandum. Et Gregorius negat contra inauditam partem ſe aliquid poſſe definire c. 1. X̄. de cauſ. poſſ. Idem ſtatuerat Gregorius IX. in c. in nomine. X̄. de teſt. Imò Gratianus in decreto integram eclogam dedit, quamplurimorum ita ſtatuentium Pontificum quæ eſt cauſa 3. q. 9. Quod verò is, qui non citatus, non poſſit eſſe contumax, ſtatuit ipſe Innocentius idem ad Conſtantinopolitanum Patriarcham (Thomam Maurocenum, cap. 8. X. de Maj. & obed. Et Alexander III. c. cauſam 3. X. de dol. & Contum.

III.

Hæc eſt, ὑποβολὴ quâ Pontifex à Principibus objecta proponit ut refellat. At verò credibile eſt non hæc ſola fuiſſe, ſed ſi non majoris ponderis alia, & graviora, certè hujus generis multò plura. Quæ enim cauſa eſt, cur Baronius, qui Principum factionis Ottonianæ epiſtolam ad Pontificem refert integram, hujus non niſi initium exhibeat? Sed mittamus iſthæc. Quid itaque Pontifex reſpondet? Primò omnium παρομολογίᾳ Rhetoricâ, ita Principum jus & poteſtatem eligendi Imperatorem agnoſcit, ut oſtendat, ſe pro officio ſuo aliter facere non poſſe. Ait itaque ſe, *ſecundum Apoſtolicum officium ſingulis in juſtitiâ debitorem eſſe*, igitur & ſibi & aliis, cuique ſua tribuere. Officium illud apoſtolicum in Raymun-

D dana

danâ collectione uſurpatur *ſervitutis*; in aliis, *ſollicitudinis* officium. Illa lectio ταπεινώσεως apoſtolicæ notam præfert, quâ, ex præſcripto Salvatoris, Apoſtolorum quisquis volens eſſe magnus, jubetur eſſe alterius miniſter, & qui primus, reliquorum ſervus. Hinc illa formula Pontificiorum reſcriptorum, qua ſe ſervum ſervorum profitetur. Cujus originem, à Gregorio M. arceſſunt, qui primus uſurpârit, ad retundendam Conſtantinopolitanæ univerſalitatis ambitionem, ut habet *Archi-Diaconus* & *Johannes Andreas* in procemio libri 6. Decretalium. Et *Genebrardus* chronogr. ad annum 604. *Anonymus*, vitæ Gregorii ſcriptor, à *Caniſio* editus lib. 6. antiq. lect. Quam ita conſtanter ſtylus Romanæ curiæ retinet, ut Canoniſtæ nullum reſcriptum pro genuino habeant, cui character ipſe abſit. *Schoppius, annot.* ad *bull. indict. Jubilæi Clementis VIII* Sed revera antiquior hæc appellatio, Gregorio M. Sic enim Auguſtinus, epiſt. 107. ad Vitalem Carthaginenſem: Auguſtinus Epiſcopus, Servus Chriſti, & per ipſum ſervus ſervorum. Et epiſtol. 121. ad Probam viduam: Auguſtinus Epiſcopus, ſervus Chriſti, ſervorumque Chriſti. Parilis μειώσεως, an devotionis exemplum eſt, quod Epiſcopi quidam Peccatoris cognomentum adſcivere. Vide *Ferrarium* de epiſt. eccl. lib. 3. c. 1. Hodie profeſſio vel præſcriptio iſta multis ludibrium debet, unde illud:

Servierant Tibi, Roma, prius Domini Dominorum,
Servi ſervornm nunc tibi ſunt domini.

V.

Ex juſticiæ ergo debito Electores Imperatoris recognoſcit Papa. Recognoſcit ergo, eſſe id Principum jus proprium. Sed fortaſſe non aliter, quàm κατ' ἐπιτροπὴν quandam, ut maximam partem ſibi auferat. Ait enim præcipuè ſe quosdam Principes agnoſcere Electores, *quia hujusmodi poteſtas ad eos ab apoſtolicâ ſede pervenerit.* Ita ergo tribuit, ut ſedem apoſtolicam auctorem ejusdem in Principes tranſlati ferat. Quid ita? Romanorum enim Imperium in perſonâ magnifici Karoli à Græcis tranſtulit in Romanos. Habent ergo jus ſuum Principes: ſed à Pontifice. Habent ſuum jus, ſed eligendi:

. Pontifex

Pontifex autem poteſtatem electum examinandi, ſeu inquirendi in perſonam electam, adeoque indignam repertam, etiam repudiandi, reprobandi. Unde verò habet Pontifex? Primo ex confeſſione ipſorum Principum. Recognovere enim in præſentiâ, miſſi ſcilicet, ad Innocentium, quod jus & auctoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promovendam ad imperium, ſpectet ad Papam. Deinde propterea, quia Pontificis eſt electum inungere, conſecrare, coronare. Cuicunque proinde competit manus impoſitio, illius etiam examinatio perſonæ. Id quod probatur cum ex obſervantiâ ſcilicet, quia regulariter & generaliter obſervatum ita: Tum quod abſurdum aliàs ſequeretur, ſi enim Pontifex non poſſit electum examinare atque pro re natâ reprobare, ſequeretur, ſi Principes in diſcordiâ eligerent plures, omnes eſſe à Pontifice coronandos, adeoque pro uno, plures habiturum eſſe Imperium Imperatores: Aut ſi in concordiâ eligerent in idoneum, ſacrilegum, excommunicatum &c. & hunc conſecrandum & coronandum eſſe. Quod Innocentius abominatur.

V.

Ergò Pontifex ita ratiocinatur: *Sedes Apoſtolica Imperium Romanum à Græcis in Romanos tranſtulit.* Ergò eadem & jus eligendi Imperatorem ad Principes Germanos transmiſit. Quod argumentum ut rectè intelligi poſſit, conſtare oportebit, primò quid nomine *Imperii Romani* Pontifex ſignificet: Deinde cujuſcemodi fuerit hæc Imperii tranſlatio: Et deniq; videndum de propoſitionis ipſius veritate, an Imperium transferendo neceſſario & jus elegendi Imperatorem eidem auctori acceptum ferendum eſſe conſequatur.

VI.

Imperii Romani nomine aut intelligere Pontifex poterat, totum terrarũ orbem; aut omne illud quod ſub Auguſto & poſtea Trajano Imperatoribus Romano Populo paruit; Aut regnum Italiæ, quod Longobardi tum tenebant, aut reliquias illas, quæ Imperatoribus orientalibus in occidente ſupererant. Totum terrarum orbem à Græcis ad Germanos tum temporis

Pontifex transferre non potuit, quia Græcorum non magis unquam, quam aliùs Populi fuerat aut Principis, nedum Epiſcopi Romani. Et ſi tale imperium à Græcis tranſtuliſſet, & Græcorum Imperium ſeu orientale in eum quoque tranſtuliſſet, quod hiſtoriæ illorum temporum non admittunt. Eâdem ratione nec provincias, quæ Auguſti & Trajani temporibus Imperii fuerant, ſed tempore translationis amiſſæ, intelligere potuit, quia à Græcis illud transferre Pontifex non potuit, quod Græci vel nunquam habuerunt vel amiſerant, & cujus recuperandi animum jam dudum poſuerant, teſte *Alberto Pigbio lib. 5. Eccl. Hierar. c. 14.* Regnum Italiæ Pontifex à Græcis ad Karolum non tranſtulit. Tenebant enim illud armorum ſuorum vi jamdudum Longobardi, neque recognoſcebant id à Græcis multo minus à Pontifice. Relinquitur ergo ut, ſi quid Pontifex in perſonam Karoli tranſtulit, reliquiæ illæ fuerint, quas Longobardi Imperatoribus Græcis in Italiâ reliquas fecerant. Id ferè erat urbs Roma, Pentapolis, & Exarchatus Ravennatenſis.

VII.

Porrò qualis fuerit Pontificis hæc translatio, jam multis hâc de re commentariis manifeſtum eſt. Nos rem ad compendium ponemus. Cum Karolus, jam tam ſub nomine Patricii omnem poteſtatem, quæ Exarchorum antè fuerat, adeptus, Deſiderium, Longobardorum Regem penitus debellaſſet, inq; Franciam deportaſſet, ipſe Romam profectus à Papâ, clero, atque Populo, condito SCto, Imperator ſalutatus eſt. Tradit hoc exſertè Anaſtaſius Bibliothecarius in vitâ Leonis: *Tunc univerſi fideles Romani videntes tantam defenſionem & dilectionem, quam erga ſanctam Romanam Eccleſiam & ejus vicarium habuit, unanimiter altiſonâ voce, Dei nutu, atque B. Petri, clavigeri regni cælorum, exclamaverunt: Karolo, piiſſimo Auguſto, à Deo coronato, magno, pacifico Imperatori vita & victoria. Ante ſacram confeſſionem B. Petri Apoſtoli plures ſanctos invocantes ter dictum eſt, & ab omnibus conſtitutus eſt Imperator Romanorum.* Idem & Marianus Scotus *lib. 3. chron. Karolus*, inquit, *hoc tempore à Romanis Auguſtus appellatus eſt.* Et Platina in Gregorio III.

Karolum

Karolum inauguratum ſcribit *Populi Romani ſcito ac precibus.* Nec refert, à quibusdam ſcriptoribus id Papæ ſoli tribui. Id enim eò fit, quod Pontifex tanquam urbis Archiepiſcopus & primarium membrum primas in comitiis partes habuit, & decretum cum optimatibus ſubſcribendo ſanxit. Aliud autem & majus quidpiam non præſtitit, quàm hodiè fortè Archiepiſcopus Moguntinus.

IIX.

Translatio ergò hæc non fuit niſi nominis & dignitatis, quod ipſe Bellarminus *lib. 1. c. 11.* agnoſcit, nec tàm à Græcis ejus facta translatio, quàm cum Francis, Populi R. ſuffragio, communicatio. Nec aliter Imperium à Græcis translatum, quàm ſi hodie, Turcarum Rege ab eodem Pontifice Imperatore ſalutato, Imperium à Germanis ad Turcas transferri diceretur. Nullam enim provinciam cum hoc nomine Karolus adquiſivit, ſed eas omnes partim hereditatis jure, partim victoriis obtinuerat. Sed nec Græci admodum repugnabant, quòd nec multum ſibi decederet, jamdudum harum provinciarum poſſeſſione, maximam partem dejectis, ut communicatum magis, quàm diviſum imperium crederent, fœderibus cum Karolo ſub Irene ſtatim factis, mox ſub Nicephoro, mox etiam ſub Leone. Vide *Cedrenum, in Irene. Zonaram tom. 3. Annal. Regino lib. 2. Gotfridum Viterbienſem chron. par. 17. P. Aemelium Karolo M. Platin. in Leone III.* Neque novum, alium in oriente, alium in occidente imperaſſe *Confer Joh. Barcl. vindic. adverſ. Bellarm. c. 4.* Denique, ut rectè Michael Coccinius, *opuſculo de translatione Imperii ad Germanos*, fuit hæc translatio ſedis Apoſtolicæ nihil aliud, quàm conſenſus, ut transferretur, vel translationis declaratio, per ſubjectionem ſui actualem, & certas ceremonias facta. Quod verò Pontifex ſub poteſtate fuit Imperatoriâ, videre eſt ex Adriani decreto, cujus ſummam repræſentat *Theodericus à Niem tract. de inveſt. Epiſc. apud Schard de imp. jurisd. p. 248. Ad eorum quoque* inquit, *exemplum præfatus Adrianus Papa cùm omni clero & populo ac univerſa ſanctâ Synodo conceſſit Carolo Auguſto omne ſuum jus & poteſtatem eligendi ſummum Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem dignitatemq; principatus*

patus ſicut ſcribitur diſtinct. 63. Hujus decreti memor fuiſſe videtur Leo, cum Pontifex creatus ſtatim miſit ad Carolum claves S. Petri urbisque Romæ vexilla. *Baleus in catal. Rom. Pontif.* per quarum rerum traditionem nil niſi plenum atque abſolutum dominium intelligi poteſt, id quod etiam privatis in rebus obtinet, ut clavibus traditis dominium traditum eſſe cenſeatur *l. 1. §. pen. de acquir. poſſ.* Idem, cum in quadam proceſſione de equo dejectus, habitu Pontificali nudatus, ac multis verberibus multatus eſſet, ad neminem confugit, niſi Carolum, qui Romam veniens, tanquam judex de criminibus quæ Pontifici, objiciebantur, cognovit, eumque juratò ſe purgantem abſolvit.

IX.

Non poſſum hic penitus Bellarminum contra magnâ vi brachia tendentem præterire. Profert is *cap. 5. lib. 1. de transl. Imp.* multa, ſed ea pleraq; ficulnea. Rem ipſam autorē dabimus. *Primus eſt,* inquit, *Carolus M. qui cum teſtamento filiis imperium diviſiſſet, rem totam à Leone Pontifice confirmari voluit, ut non ſine conſenſu ejus, à quo illud acceperat, imperium aliis tradere videretur.* Sed quæ hic neceſſitas ita concludendi: Carolus voluit teſtamentum confirmari ſubſcriptione Leonis. Ergò faſſus eſt ſe imperium à Leone accepiſſe? Pontifex teſtamentum condidit, juſſit etiam ſubſcribere Bellarminum. Ergò bona ſuâ, de quibus diſpoſuit, à Bellarmino accepit. Ridiculus eſt Hyperaſpiſtes, ſi ſic argumentatur. Deinde nec confirmatio teſtamenti actus ille ſubſcribendi commodè vocari poteſt. Jam enim jurejurando Nobilium Francorum confirmatum erat, teſtamentum quod ipſe Cardinalis non inficiatur. Quis etiam credat Carolum eo dementiæ proceſſurum fuiſſe, ut id quod ſuum, alienæ libidini & arbitrio ſubjiceret? credat Judæus Apella. Sed concedemus confirmaſſe teſtamentum Caroli Papam, anne ergò cætera regna, de quibus ultimo judicio diſpoſuit, beneficio Leonis poſſedit? ſubſcriptio enim actus eſt individuus. Si hoc affirmas, Bellarmine, verecundiæ fines planè migraſti. Cauſſa autem cur Carolus voluerit ſubſcribi à Papa

videtur

videtur fuiſſe, quod cum non haberet privatos idoneos teſtes, publico ordini politico & Eccleſiaſtico teſtamentum ſuum approbari voluerit. Ulterius ſententiæ ſuæ præſidium quærit in Lothario: *hic*, inquit, *ut Ado ſcribit in Chronico, Ludovicum filium ſuum per ſe regem Italiæ fecit; ſed cum Imperatorem quoq; eum fieri vellet, Romam per Drogonem Patruum ad Pontificem miſit, atque eo modo Ludovicus Junior à Sergio Papa Imperator creatus eſt. Sigebertus* rem ita narrat: *Sergius Romanæ Eccleſiæ centeſimus præſidet, ad cujus electionem confirmandam Ludovicus filius Imperatoris Lotharii à patre miſſus ab eodem Papa in Regem Longobardorum unctus eſt.* Bellarminus ipſe fatetur jam antea electum eſſe, ergò coronatio tantum peracta à Papa, quæ tantum majoris ſolennitatis gratia adhibita. Sigebertus addit magno beneficio devinctum Sergium id feciſſe, quia confirmationem per illum impetraverat. Ergò Papa confirmatus eſt à Cæſare. Ultimò in Regem tantùm Longobardorum unctus eſt, non in Imperatorem: Nec refert, quod Populus Romanus eum Imperatorem aut Auguſtum ſalutaverit: per imprudentiam enim id feciſſe nemini non patet. Non finem hic facit Cardinalis, ſed & inſigne teſtimonium *Caroli Calvi* profert; verùm cum pagina illorum temporum Hiſtoriam non capiat, dicimus Carolum illum Calvum imperium jure nanciſci non potuiſſe, cum fratri Ludovico Germanico deberetur, id quod etiam eventus docuit, cum Carolo & Ludovico Balbo filio remoto verus ſucceſſor virtute Dei imperio potitus eſt. Bellarminus ipſe fatetur multis muneribus datis à Papa illud impetraſſe: Alii ejusdem temporis Hiſtorici à Romanis pecunia illud impetraſſe ſcribunt. *Godfrid. Viterb. imperium à Romanis, ut dicitur, pecunia impetravit. Ott. Friſing. Patruus Ludovici junioris Carolus Senior occidentalis Franciæ Rex Romam veniens à ſummo Pontifice, civibusque imperium pecunia, ut dicitur, obtinuit.* Carolum excipit Albertus: *hic* inquit, *à Bonifacio VIII. vehementer contendit, ut imperium ſibi & heredibus confirmaret, id quod minimè impetravit: voluit enim Papa Imperatorem eligi, non naſci.* Occaſionem petiti hic planè diſſimulat, ne notam Pontifici inurat: nos ex Nauclero ſupplebimus:

Philip-

Philippum, inquit, *Franciæ regno per ſententiam privat, ejusque regnum Alberto Imperatori ſubjicit, quem initio Pontificatus ſui repulerat, nunc autem confirmatum in Regem Romanum ad ſumendam imperii coronam ſollicitat. Nam de Alberto ſic ſcribit Jacobus Moguntinus, quod Bonifacius eum in odium Regis Franciæ approbaverit, & cum Papa eum contra Regem Franciæ invitarit, non facturum reſpondit, niſi ſibi & heredibus ſuis imperium confirmaret.* Non poſſumus hic præterire πλυπραγμοσύνην Pontificis, quem tamen, ſi vicarius Chriſti publicis profanis multam ſalutem dicere, & ad pacem invitare, non claſſicũ belli canere conveniebat. Nec tamen Alberti exemplo, id quod in quæſtione eſt, deciditur. Albertus petiit illud à Papa, ergò jure illud fecit ! hoc negatur: & cum non impetrarit (videtur enim voluiſſe illudere petitis Papæ, ea quæ non erant in ipſius poteſtate ab eo petendo) cur hic adducit Bellarminus. Et ſi tantùm valet Papæ autoritas, dicat nobis Cardinalis, quare mandato illius non ſolùm non paruerit, ſed filiam inſuper ſuam Philippi filio in matrimonium collocarit. Henricus *VII.* mittit, inquit, in *oram Narbonenſem, qui à Clemente poſtulent, ut ratam ſibi facere ſubrogationem pro more dignaretur.* Hic *morem* vocat *Conradus Vercerius*, cujus hæc verba ſunt: Bellarminus jus eſſe probare conatur. Scilicet noverant Turbaliones eſſe Papas, ideoque ſibi eos adjungendos ducebant, tum magnum ad cauſſam ſuam pondus accedere autumabant, ſi ſpecies religionis autoritate Pontificis accederet: Atque hoc ita ſe habet in Henrico noſtro, quippe cum Philippus Rex eum ipſo ſimul imperium ambiret. Ludovicus Quartus, quod licet excommunicatione, ſede dejectus imperatoria, tamen nunquam deſtiterit occaſiones quærere, quibus in gratiam Pontificis rediret, obſervavit illud Plauti Amphit. act. 2. ſc. 2 *Bacchæ, bacchanti ſi velis adverſarier, Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſæpius, ſin obſequare, una reſolvas plaga.* Fecit tamen id inſtantibus proceribus, qui tamen & ipſi poſteà judicia Papæ in conventu Francofurtenſi reprobarunt *Naucler. Anno. 1344.* Quàm longè aliùs poſteà apparuerit, apparet ex decreto publico, quod promulgavit, in quo imperialem dignitatem & poteſtatem à ſolo Deo immediatè eſſe, illosq;, qui

contra-

contrarium ſentiant læſæ, majeſtatis damnandos eſſe cenſet. Videatur decretum illud apud *Magnificum Dn. Reinking Patronum meum magnum de R. Sec. & Eccl lib.1. cl.2 c.3. Carolus IV.* inquit, *juſſit electionem Wenceslai per Urbanum Sextum confirmari.* Quid tum? factum illud tempore turbarum & ſchiſmatis inter Urbanum & Clementem VII. Antipapam exorti. Wenceslaus inſuper non dignus erat, ut delicium Imperii Romani vocaretur: ideoque coronationem, ut res magis rata eſſet, ab eo petebat. Friderici I. exemplum jus Papæ non probat; fecit, ſed an jure? putavit pulchrum eſſe, ſi ad actus humani confirmationem religioſus accederet. Audiamus ipſum hoc dicentem apud *Otton. Friſing. c. 21. Gloriaris me per Te vocatum eſſe, me per te primo civem, poſt principem factum, quod tuum erat à Te ſuſcepiſſe. Quæ dicti novitas, quam ratione abſona, quam veritate vacua ſit, æſtimationi Tuæ, prudentumque relinquatur arbitrio. Revolvamus modernorum Imperatorum geſta, ſi non Divi noſtri Principes Carolus & Ottho nullius beneficio traditam, ſed virtute expugnatam Græcis ſeu Longobardis urbem cum Italia eripuerint, Francorumque appoſuerint terminis. Docet hæc Deſiderius & Berenharius tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus tanquam Principibus innitebaris. Eos à Francis noſtris non ſolum ſubactos & captos fuiſſe, ſed & in ſervitute ipſorum conſenuiſſe, vitamque finiſſe, vera relatione didicimus.* Addit poſteà: *Implorasti miſera felicem, debilis fortem, invalida validum, anxia ſecurum: nam ab hoſtibus pulſabaris, nec propria manu Græcorum mollitie liberari poteras.* Ultimò Philippum (nam Græcos Imperatores omittimus, ut & inſtrumentum Germanorum) ad partes vocat, qui poſt mortem Alberti Imperatoris, ut regnum in Gallos transferret, à Clemente V. per ſolennes nuncios id petiit. Sed non impetravit: antequàm enim nuncii venirent, ſcripſit Electoribus, ut maturarent Electionem, & Henricum Lucemburgium Comitem, ſi eis videretur, eligerent. Hic ſanè quid probare velit Cardinalis non video. Ponamus Philippum faſſum imperium eſſe beneficium Papæ? fecit id ideò, quia Papalem noverat aſtutiam, putabatque ſi eum deliniret, turbas in imperio excitaturum. Deinde ſi imperium Papa poteſt in alium transferre, cur diſputat Bellarminus

jus

jus eligendi Electoribus tantum Germanis competere, ad quos jam morte Alberti electio devenerat. Electores etiam admonentur, ſi eis ita videretur, Henricum eligere. Ergò liberæ illud voluntati Principum relictum. Hæc ſunt, quæ Bellarminus aſſertionis ſuæ fundamenta eſſe voluit. Nos Fridericum I. ſequimur apud Gunth.

Eccleſiam regat ille ſuam, divinaque jura
Temperet, imperium nobis ſceptrumque relinquat.

X.

Conſtat ex his, quàm nullam ſpeciem veri habeat Innocentii noſtri ratio, quando ex tali, quam deſcripſimus translatione, quæ ipſiſſima erat ſubjectio, jus eligendi ad Principes Germanos perveniſſe aſſerit. Nam, ſi maximè in Pontificis Hadriani & Populi R. manu fuiſſet translatio iſta, quod ſecus habere oſtendimus, ipſique, quod ſuum fuiſſet, transtuliſſent, tamen quia per naturam ſuam ejusmodi alienationis actus nihil aliud operari poteſt, quàm meram abdicationem & privationem ejus, quod transferens habet, nullo modo autem in jus adquirentis poſitivè, ut ſic loquar, influat, adeoque hac ratione modum cauſari nequeat, ſecundum quem adquirens rem acceptam ad alios transmittere poſſit, facile apparet, vi alicujus translationis, jus eligendi ad Principes pervenire non potuiſſe, niſi expreſsè id actum fuerit, aut convenerit, de quo verò in hiſtoria altum ſilentium. Quare hoc ſupereſt, ut Innocentius his verbis Pontificem juris electorii non quidem auctorem facere, ſed hoc duntaxat indicare voluerit, à Pontifice qualemcunq; occaſionem præbitam fuiſſe, ex quâ oriri electorale collegium potuerit. Quam etiam veram Innocentii mentem eſſe ſeriò nobis perſuademus, cum ignorare non poterat Innocentius, jus eligendi ad certos Principes, non Hadriano, ſed multum poſteriori, Gregorio V. adſcribi. Quâ de re porrò videndum.

XI.

Quæ ratio propagandi in poſteros Imperii à Karolo M. & ſucceſſoribus ſervata fuerit, non convenit ſcriptoribus, ſucceſſionem hereditariam multis obtinuiſſe ſentientibus. Qui ſi ſucceſſionis nomine factum nudum vacui imperii capeſſendi

intel-

intelligunt, nil vero diſſimile dicunt. Nam & qui per electionem ad imperium adſcendit, mortuo anteceſſori ſuccedere dicitur. Cæterum ſi jus & modum ad imperium perveniendi deſignare volunt, arbitror oppido eos falli, ſed rationibus agamus. Igitur negamus, unquam apud Germanos ſucceſſionem, & omnium minimê ſub Carolinis meram obtinuiſſe: ſed Reges ſuos ex nobilitate, Duces ex virtute ſumſiſſe, ut jam olim Tacitus de Germanis. Id verò in primis de Francis probari facilè poteſt. De Pharamundo Rege Trithemius in compendio annalium ex Hunibaldo ſcribit, *poſt obitum Ducis Genebaldi, conveniſſe in unum proceres & majores natu Francorum, conſiliumque habuiſſe inter ſe maturum, utile indicantes, ut more veterum ſibi Regem conſtituerent ex Ducibus, qui bonus viſus fuerit in oculis omnium.* Idem de *Sigeberto* habet *Gregorius Turonenſis lib. 4. c. 51.* de *Gundebaldo lib. 7. c. 10. De Carolo & Karolomanno Eginhardus: Franci facto ſolenniter generali conventu ambos ſibi Reges conſtituunt.* Et Carolomanno defuncto idem Eginh. narrat *Karolum conſenſu omnium Francorum Regem conſtitutum.* Idem de utroque *Hincmarus Epiſtol. 1. ad Ludov. Balbum. Ludovicus congregatis, ſolenniter de toto regno Francorum primoribus cunctorum conſilio conſors regni & Imperalis nominis heres conſtitutus dicitur* eidem *Eginhardo*, & *Thegano in vitâ Ludovici.* Fuit tamen hæc electio ita comparata, ut filii imperio digni, prærogativam haberent. *Vide Hotoman. Franco Gallia c. 6.* Adeoque quoties auctores hac de re loquentes, ſucceſſionis meminerunt non jus ſeu titulum, ſed factum hoc nomine deſignant. Id quod vel ipſa conſtitutio Forchemenſis probat, tantum abeſt, ut ſucceſſio Karolinorum inde firmetur. Si enim ſucceſſionis jure imperium transferri mos tum fuit, quid eſt, quod §. 1. ejusce conſtitutionis dicit Bruno, ex multis, quos probitate dignos in electione propoſuerint Saxones & Svevi, tandem Rudolfum, Ducem Svevorum electum fuiſſe. Igitur hæc conſtitutio non tàm novi juris ſanctio, quam jamdudum receptæ ſed per frequentiores ſucceſſiones non ſatis in vulgus notæ legis renovatio.

 XII. Diſſen-

Diſſentit equidem Goldaſtus, in Seniore ſuo, *lib. 3. c 14.* ad finem & in replicatione pro imperio *c. 18. & 26.* Cui reſponderi poteſt ſuis verbis, ejusdem Senioris *lib. 3. c. XI. regna, quæ ſuffragiis deferuntur, non propterea hereditaria cenſentur, quod in his ſæpe filii parentibus ſuccedant, & prærogativam aliquam pro tempore, & publica neceſſitate habeant, ut in noſtro Imperio Domus Auſtriaca.* Quare uti electio ab origine Germanorum propria, ita ad hunc quoque diem manſit. Sed ea non certorum olim Principum, ſed cuncti populi, nempe Principum, Epiſcoporum, Nobilium, ſed & Civitatum. Quæ quando ad paucos Principes, Electores, reſtringi cœperit, magna eſt diſputatio. Sanè receptior eſt ſententia, quod ſub Ottone III. ſanctione pragmaticâ collegium Electorale fuerit inſtitutum. Et Innocentius hic recognoſcit in hac epiſtolâ non ad totum populum, ſed ad certos Principes de jure, & antiquâ conſuetudine pertinere. Ita ſcribunt *Tritbemius ad annum 996. Wernerus Rolvinck faſc. temp. ætate 6. Anno 994. Nicolaus Cuſanus, de concord. cathol. lib. 3. c. 3. Lupoldus de Papeberg. de Jure reg. c. 2. Marſilius Patavinus de transl. Imp. c. 11. Martinus Polonus anno 1285. Albertus Stadenſis anno 1240 Magnum chronicon Belgicum anno 1194. Sigebertus Gemblacenſis anno 1002.* Et nemo non, usque ad *Aventinum.* Quibus omnibus fidem derogare eſt frontem de rebus tollere. Quare quidquid *Centuriatoribus*, quidquid *Onuphrio*, aut *Lehmanno*, iisve qui hos anteſignanos ſequuntur, videatur quarum rationes inter diſputandum excutiemus, tantum nobis permittere non audemus, ut omnium hiſtoricorum conſenſum ſusque deque habeamus. Videantur *Simo Schardius* & P. *Heigius JCti eminentiſſimi. Ille peculiari diatribâ Onuphrio oppoſitâ, Hic quæſtione 3. p. 1.*

XIII.

Statuimus ergò ſub Ottone III. qui mirabilia mundi dictus: *Magn. Chron. Belg. p. 89.* Electores inſtitutos eſſe, ſuadente tamen Gregorio V. Pontifice, Saxoniæ Principe. Cum enim Otto ex Creſcentio Conſule Romano didiciſſet, quantâ Itali flagrarent cupiditate dignitatis Imperialis, à Germanis ad ſe

trans-

transferendæ: recordaretur inſuper etiam inter ipſos Germanos diſſenſiones exortas fuiſſe: ipſe qui prole maſcula careret, quo malis illis occurri poſſet, certos inſtituit, quibus onus eligendi Regem incumberet. Pontificis conſilium & approbationem non inficiamur: Fuit enim & Ottoni cognatus: nec auſpicatò cæſares illius ſeculi ſine Paparum calculo quid geri poſſe certiſſimè ſibi perſuaſerant. Eam autem conſtitutionem ſoli Gregorio V. aſcribere religio nobis eſt. Nec enim ex ullo illius temporis probato Hiſtorico, nec ex tanti negocii diplomate vel bulla, quas cæteroquin Papæ de iſtiusmodi rebus facere aut ſaltem comminiſci ſolent, illud oſtendi aut probari poteſt.

XIV.

Bellarminus Papalis dignitatis Defenſor acerrimus *lib. 3. c. 1.* de *translat. imp. Rom.* totus in eo eſt ut remoto Ottone rem illam Pontifici ſoli aſcribat. Sed nec ipſe ſibi conſtat: capite enim 1. ſolum Pontificem ad partes vocat: c. 3. autem conſenſum Imperatoris adhibitum eſſe affirmat. Audiamus Cardinalem Lamiæ turres & ſolis pectines fabulantem. Primò ex decretali hac epiſtola (quam falsò, niſi errore Typographi factum, ad *Ducem Thuringiæ* ſcriptá eſſe ait) producit ſequentia: Verùm illis Principibus jus & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promovendum recognoſcimus, ut debemus, ad quos de jure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere, præſertim cum ad eos jus & poteſtas hujusmodi &c. Hic Bellarminus exclamaret,

— — Populus quod clamat Oſiri

Invento: εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Verum reperiſſe ſe ſciat, quod pueri in faba. Falſum enim illud eſt, quod ille probatione indigere non putat, quod imperium Græcorum in Francos à ſolo Pontifice ſit translatum: quod falſum eſſe oſtendimus. In ſeqq. multa Italorum & Gallorum ſuæ ſectæ hominum teſtimonia profert. Sed quid hoc ad rhombum? Res enim illa ex iſtius temporis Hiſtoriis decidenda; quod ſi Bellarmini veſtigiis inſiſtere vellemus, nec nobis deeſſent eorum teſtimonia, qui contrarium probarent. Denique nec nobis

licuit

licuit omnia illa Autorum loca inſpicere, ideoque merito nos fidem ei derogamus; cum conſtet, quomodo per caliginem nonnunquam & nebulam Autores inſpexerit. Pergit, & Jordanum Germanum pro ſe facere putat. Sed dicimus 1. ipſum Bellarminum Gregorio V. aſcribere: ergò Caroli M. tempore res illa fieri non potuit. 2. ex ipſis Autoris verbis Bellarmino ſatisfieri poteſt: dicit enim conſenſu Pontificis id factum eſſe. Ergò cum ambo conſenſerint Cæſar & Pontifex, unicuique partes ſuæ aſſignandæ erunt, ne alter jure ſuo defraudetur. 3. verba de *mandato Papæ* ſuppoſititia eſſe haud immeritò nobis videntur: nam Papæ tunc fuerunt ſubjecti Principum Romanorum, atque adeò Caroli ipſius, non autem eorum Domini, qui eis aliquid mandare poſſent aut auderent. Eadem reſponſio ferè ad ſeq. Bellarmini argumenta accommodari poteſt. Poſtremò accedit ad duo graviſſima teſtimonia, unum concilii generalis, alterum ipſorum imperii Electorum. Prius eſt in *Clement. Romani Principes. Eccleſia,* dicitur ibi, *Romana à Græcis imperium tranſtulit in Germanos,* & *ab eadem ad certos eorum Principes, jus & poteſtas eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promovendum pervenit.* Sed cur teſtimonium domeſticum profert ipſius Papæ Clementis, cui facilè erat rebus ubique turbatis (Ludovicus enim quartus cum Friderico Auſtriaco de imperio certabat) talia principibus obtrudere? Eodem modo nec publicum Germanorum Principum inſtrumentum Bellarminum juvat: in procemio enim principes leges Rhetorum obſervant, favoremque Papæ captant: deinde ſi inſpiciantur verba, epiſtola iſta non ab Electoribus ſed omnibus & univerſis imperii Principibus confecta eſt: ultimò non dicunt ſe illam poteſtatem habere à ſede Apoſtolica, ſed quod tantum Eccleſiæ autoritate ſuffulti Imperatorem germinent.

XV.

Vocantur ergò illi Electores ab eligendo ut Churfürſten dicuntur à lingua vernacula Churen / quod eſt eligere, vel Wahlfürſten oder Wahlherren. *Baldus in l. bene, à Zenone,* C. de quadr. præſcript. Electionarios vocat: Septemviri à numero ſeptenario vocantur, ut olim Duumviri, Triumviri. *Gail.*

lib.

lib.1.Obſerv.2.n.2. Septem olim fuerunt numero: Sed quare? Hîc meritò dicimus: NON LIQUET. Recenſebimus potiſſimas diverſorum ſententias. Quidã inde factum ajunt, quod ſeptenarius ſemper ſacer & perfectus fuerit habitus numerus. Religionem huic ineſſe credebat Pythagoras: unde & per illum jurare ſolebat. Sic *Heſychius*: τετρακτὺς πυθαγορικὸς ὅρκος: ipſe *Pythagor. in Carminib. ſuis aureis.* Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν παγὰν ἀενάου φύσεως. Vid. *Hierocl. veter. Scholiaſt.* & *Theod. Marcil.* in eund. locum ex *Plutarch. de placit. Philoſ. lib. 1 c. 3.* pulchrè hæc illuſtrantem. Alii inde factum putant, quia jam inde à Caroli M. & Ludovici Pii temporibus Eccleſiaſticis magna autoritas atque potentia tributa fuerit, ac ideò æquali numero, qui dignitatis Archiepiſcopalis & Cancellariatus autoritate & potentia cæteros anteirent, hoc ſibi Jus ex longæva conſuetudine uſurpaſſe: ſeptimum autem adjectum eſſe, ut plurium arbitrio res ſtaret: hunc verò fuiſſe Bohemiæ Regem, &, cum imperio Romano parere coactus propter maximam, qua pollebat, potentiam, & ut magis imperio fidelitate aſtrictus eſſet, hoc officio donatum eſſe. *Schardius de Elect. c. 9.* inde ſeptemviros eſſe autumat, quia quatuor quondam ordines, Reges, Duces, Marchiones & Comites eligere ſolebant Imperatorem, ne ullus ſe prætéritum queri poſſet ex ſingulis unum numero Laicorum allectum eſſe: cumque ordo Eccleſiaſticus propter ſummam autoritatem uno contentus haud fuerit, duos verò propter votorum paritatem eligere non licuerit, ſeptimum ad numerum imparem conficiendum addi, concordiæ rationem ſuaſiſſe. Nec olim numerus ille augeri potuit. Ita Maximilianus I. ab Electoribus petens ut jus ſuffragii in Electione Imperatoria cum Archiducibus Auſtriæ communicaretur, repulſam tulit. *Freber. in not. ad Petr. de Ando. lib. 2. c 1.* Nec Gabriel Tranſylvaniæ & Zeculorum Princeps dignitatem Electoralem efflagitans eam obtinuit. *Golſtad. de regn. Bohem. lib. 3. c. 5. n.5.* Hodiè poſtquam in conventu Ratisbonenſi Electoratus dignitas Palatini translata in Dn. Maximilianum Bavarum, quod deinceps ad ejusdem

heredes

heredes & totam lineam Guilielmianam extenſum fuit in imperio Romano, non potuit aliter pax coaleſcere, niſi hoc nomine ſatisfieret Palatini Electoris heredibus: unde primogenitus Friderici Electoris Carolus Ludovicus ejusque ſucceſſores octavum Electoratum obtinuerunt. *Magnificus Dn. Reinking. Mæcenas meus omni honoris cultu proſequendus. in addit. ad lib. 1. Claſs. 4. cap. 3. de regim. ſecul. & Eccleſ.*

XVI.

Gaudent autem Electores Eccleſiaſtici nomine Archicancellarii. Id cur factum quæritur? Cancellarii nomen vix apud antiquiorem invenire eſt, quam Vopiſcum in Carino. Nimirum ut in *Exercit. ſuis Exoteric. Ampliſſimus Dominus Præſes* notavit, fores veterum fuere cancellatæ, ex lignis reticulatim compoſitis textæ. *Ariſtoph. Scholiaſt. ad Veſp.* Κιγκλὶς ἡ θύρα τοῦ δικαστηρίου, ἣν καὶ καγκελωτὴν καλοῦσι. *Pollux lib. 8.* αἱ μὲν τῶν δικαστηρίων θύραι κιγκλίδες ἐκαλοῦντο, ἃς οἱ Ῥωμαῖοι καγκελωτὰς λέγουσι. Igitur qui ad eos cancellos ſtabant Cancellarii dicebantur, ut velarii, qui vela, quibus Conſiſtorii regii fores prætenſæ erant. *Gloſs. Baſilic.* Καγκελλάριοι οἱ ἐν καγκέλλῳ ἑστηκότες. *Agath. de imp. & reb. geſt. Juſtin. Edit. Bonav. Vulcan. p. 26.* ναρσῆς δὲ ἐπὶ ῥάβενναν ἰὼν μόνους ἐπήγετο τοὺς ἀμφ' αὐτὸν θεραπευτάς τε καὶ δορυφόρους, καὶ ὅσοι τῆς ἀρχῆς αὐτῷ ὑπηρέται ἐτύγχανον ὄντες. οἷς δὴ τὰ ἀρχεῖα ἐπεφρόντιστο τῆς ἄλλης εὐκοσμίας πέρι, καὶ ὅπως μὴ χύδην ἅπασι τοῖς βουλομένοις ὡς αὐτὸν εἰσιτητέα εἴη. τούτους δὲ ἔθος ῥωμαίοις ἐκ τῶν κιγκλίδων ἐπονομάζειν, καὶ τῆς ἐν τούτοις ἐπιμελείας. Tribuebatur vox hæc illis, qui judicum reſponſa, literas, atque edicta ſcribebant. Poſtea præcipui id factum peculiare, idemque fuit quod Ἀρχιγραμματεύς. Quanta fuerit eorum dignitas apparet ex Hincmaro Ep. 3. c. 16. Apocriſiarius, quem noſtrates Capellanum, vel palatii cuſtodem appellant, omnem clerum palatii ſub cura & diſpoſitione regebat: Cui ſociabatur ſummus Cancellarius, qui à ſecretis olim appellabatur, erantque illi ſubjecti prudentes & intelligentes, & fideles

fideles viri, qui præcepta regia, abſque immoderata cupiditatis venalitate ſcriberent, & ſecreta illis fideliter committerent. At inquis: Viros Eccleſiaſticos ſeculi negociis abſtinere par erat. Verum id quidem: ſed dicendum vel illud factum, quia iſto ævo eruditio in clauſtris Monachorum latuerit, vel ob ſuperſtitionem Principum proſperum rerum eventum ſibi ſpondentium, ſi Eccleſiaſticis in negociis civilibus primas partes tribuerent. Et quia imperium Francicum tria ſub ſe continebat regna, Teutonicum, Gallicum, & Italicum, ex ſingulo regno ArchiCancellarius fuit electus, qui cujusque regni negocia fideliter & dexterè curaret. Moguntinus eſt ArchiCancellarius per Germaniam, Trevirenſis per Galliam & regnum Arelatenſe, Colonienſis per Italiam. Seculares certas etiam dignitates ſuſtinent, quarum intuitu nequaquam olim, ſervorum inſtar, à Cæſaribus habiti fuere, ut nugatur *Bodin. lib. 1. de republ. c. 9.* Sic Rex Bohemiæ S. R. I. ArchiPincerna eſt & habet Vicarium den von Limburg. Elector Bavariæ ArchiDapifer, præſtatque ſervitium ſuum per Baronem de Waldburg: Elector Saxoniæ ArchiMarſchallus per Baronem de Pappenheim. Elector Brandenburgenſis Archicamerarius imperii per den von Hohenzollern. Elector Palatinus ArchiTheſaurarius imperii vicarium habet Comitem de Suntzendorff. Penes hos Electores ſolos hodie omne jus eligendi eſt. *A. B. tit. 1. in pr.* Hactenus oſtendimus, falſam eſſe Innocentii aſſertionem, quod Imperium Romanum de Græcis translatum ad Germanos, quod translatum à ſede apoſtolicâ, & quod transferens eo ipſo, & quod transferat, modum ſimul præſcribat ſuccedendi.

XVII.

Sequitur, ut jus, quod Pontifex circa electum Imperatorem prætexit, videamus. Eſt illud jus examinandi ſeu inquirendi in perſonam electam. Quod Pontifex ſibi arrogat, ex conceſſione Principum ipſorum. *Principes*, ait, *recognoſcere debent, & utique recognoſcunt, ſicut iidem recognovere in noſtrâ præſentiâ, quod jus & auctoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promovendum*

ad Imperium ad nos ſpectat. Utrum verè recognoverint Principes, quâ ratione, quousque, ex opinione propriâ, an mandatâ legantium, verbisne conceptis, an nudo facto, Pontificem adeundo & de electione Philippi certiorem faciendo, non liquet. Et eſt facti. Videtur ſubeſſe ὕπυλον, quod dicitur, *debent recognoſcere*, nolentes ſcilicet, volentes. Quod deprehendit etiam Hoſtienſis, dum dicit: *Et ſi hoc non facerent, nempe, ſi non recognoſcerent, dat eis intelligere Pontifex, quod ſic credit, & eſt color rhetoricus, qui praeoccupatio dicitur.* Sed tranſeat. Nec Pontifex fundum cauſæ in eo quærit, ſed quaſi jure agit. Dicit: Quem Principes Germani ſibi eligunt Regem, is ſi Imperium quoque Romanum vult capeſſere, ſi ad illud vult promoveri, debet à nobis ante examinari. Quare verò, Innocenti? Procul dubio, quia Principes Germani ſine Pontificis interventu ſibi quidem Regem eligere: Romanis autem civibus Imperatorem, ſine ſuo interventu, dare non magis poſſunt, quàm Perſiæ, aut Indiæ, aut Tartariæ. Quam rationem reddit *Grotius lib. 2. de J. B. c. 9. §. 11.* Cujus verba ipſa adſcribam: *Ex electione ſeptem Principum, qui Germaniæ corpus referunt, qui lectus eſt, jus habet imperandi Germanis, ſecundum eorum mores: Ex approbatione verò Populi Romani fit idem Rex aut Imperator Romanorum, aut, ut hiſtorici ſæpè loquuntur, rex regni Italiæ. Atque eo titulo ſub ſe habet, quæcunque populi Romani fuerunt.* Præterea cum trina ſit Imperatoris coronatio, & ſingulæ coronæ ſingularis regni ſymbolum & inſigne, nonne Romanum Imperatorem non Principes Germani, ſed Romani facient? Ad illos igitur & examinatio ſpectabit, quorum ſcilicet intereſt. Itane verò? Scilicet

Hoc Ithacus velit & magni mercentur Atridæ.

Sed nec acquieſcit Innocentius in ſolâ coronatione, ſed adjungit certioris fidei gratiâ & inunctionem & conſecrationem.

XIIX.

Quod attinet inunctionem, ritus is ex veteri teſtamento repetitus videtur, quo Reges populi Judaici præcipuè inungebantur *1. Reg. 1. v. 39. 1. Sam. 10. v. 1. & 16. v. 12. & 13.* Ante Saulum unctos eſſe Principes non conſtat. Fit quidem ejus mentio in apologo Jothami, qui clamavit ad Sichemitas, ligna iviſſe, ut

unge-

ungerent ſibi regem, attamen non dicitur Abimelechum unctum eſſe. Si Rabbinis habenda fides, in fronte ſolita fuit delineari figura ſpecie coronæ, quo facto oleum ſuper caput effuſum eſt. Videri poteſt etiam *Cunæus de repub. Hebr. lib. 1. c. 14.* Pontificis Romani unctio, quam Principibus adhibet expreſſa eſt in *c. un.* X. *de ſacr unct.* Principem ungi vult à capite ad brachium translatá unctione, in humero vel armo, quod principatus congruè in illo deſignetur, allegans illud Scripturæ: *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus* Et quod Samuel armũ poni fecit Saulo, inde probat Pontifex rationẽ ſuæ unctionis. Hodie in unctione Cæſaris Conſecrator Pontificalibus, ſeu Epiſcopalibus veſtimentis magnificè ornatus oleum accipit, & ſignum crucis vertici primum capitis, poſtmodum cervici inter utrumque humerum, porrò pectori & tandem dextro brachio inter carpum & cubitum inungit, verba hæc ſubinde repetens; *Ungo TE in Regem oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii & S. S. Goldaſt. in act. Imp. p. 177.* Inter conſecrationem autem & unctionem hæc eſt differentia, quod illa chriſmate fiat, hæc autem oleo ſacro & ſanctiſſimo. Bis verò inungitur Princeps Romanus, primò Aquisgrani à Colonienſi ArchiEpiſcopo in Regem; Et deinde Romæ in Baſilicá S. Petri ad altare S. Mauritii per Oſtienſem Epiſcopum. *P. de Andlo lib. 2 c. 6.*

XIX.

Videamus etiam coronationem. Novi Imperatoris electio, ut omni populo innoteſcat, more recepto atque ſolito, triplici coronatione olim electus coronatus eſt. Rationem numeri ternarii quam aſſignent, videatur apud *Hieronymum Balbum Epiſcopum Gurcenſem lib. de coronat. c. 3.* apud *Goldaſt. Polit. imp p 3. Schneidevv. comm. Inſtit. in rubr. n. 6.* Erant autem illæ, Lombardica, Romana, Germanica. Lombardica coronatio quondam ab ArchiEpiſcopo Mediolanenſi in oppidulo Modetiæ ſola coronæ impoſitione ſine unctione fieri ſolebat. Cujus autem ſubſtantiæ fuerit illa corona, de eo non certò conſtat: alii argenteam, quidam ferream dicunt: nos auream & pretioſiſſimam fuiſſe ſcimus ex *Carolo Paſchal in comm. de coronat. Imp. c. 7.* qui & ferream dictam addit, propter quandam laminam in ſummitate ferream. Romanam Coronam Imperatores electi à manu Pon-

tificis Romæ vel alibi accipiebant; de cujus coronationis ritibus videſis apud *Goldaſt. p. 4. polit. Imp. à p. 290. usque 343. & Ceremoniale Roman. Freheri notis ad P. de Andlo* annexum. Et hæc olim ſumtibus ingentibus expediebatur propter Comitatum Imperatori Romam proficiſcenti à ſtatibus & Vaſallis ſub pœnâ amittendi feudi præſtandum, qui vulgò expeditio Romana ein Römerzug dicta eſt; de qua exſtat *Conſtitut. Caroli Craſſi apud Goldaſt. tom. 1. Conſtit. Imp. p. 207.*

XX.

De hac jam quæritur, an Imperatori electo ea præciſè ſit neceſſaria, ita ut neglecta illa imperium adminiſtrare non poſſit? Nos in negantium deſcendimus ſententiam. Simul enim electus eſt, omne jus & poteſtas ei competit, ita ut omnes actus legitimè peragere, & feudum de bonis imperii alicui concedere poſſit *Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. part. 1. c. 1. n. 138.* eoque nomine etiam Francorum Regem coronatum jam & plenariè regentem jure præcedat, de quo *Anton. Quetta apud Goldaſt. p. XI. Bald. Conſil. Conſil. 326. Communem*, ait, *eſſe opinionem Legiſtarum, quod Imperator licet tanquam Rex Romanorum poteſt omnia, quæ poteſt Imperator, quia corona non ſit de ſubſtantia poteſtatis: licet inferat incrementum majeſtatis & honoris. Gloſſa diſtinct. XCIII. c. 1. Legimus: Ex ſola*, dicitur ibi, *electione Principum dico eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmetur.* Quod etiam non ignorarunt Baſileenſes, quando poſt obitum Ludovici Imperatoris Epiſcopo Bambergenſi ita reſponderunt: *Quemcunque Imperatorem Electores nobis dederint, hunc recipimus, etiamſi nunquam Papam requirat. Mut. lib. 25. Chron. German.* Optimè ergò, cum nec Aurea Bulla Caroli Quarti Pontificiæ religionis addictiſſimi, nec conſtitutio Imperialis Ludovici Bavari Coronationem eam requirat, Maximilianus I cum ad ordines Imperii orationem haberet, Coronam Imperialem à Romano Pontifice accipere minimè neceſſarium ſibi videri dixit, quia imperii majeſtatem in ipſis ordinibus ineſſe intelligebat. *Bodin. de Republ lib. 1. c. 6.* Sic neque ullus Imperator, jam inde à Carolo V. Pontificis coronationem avidè deſideravit, ita ut non vanum hucusque augurium eorum fuiſſe videatur, qui, cum in coronatione dicti Imperatoris Bono-

niæ

niæ celebrata pons ingens, ſuper quem ingrediebantur, corrueret, rem in omen vertentes ex fracto ponte, nullum deinceps alium Imperatorem coronatum iri, vaticinari auſi fuerunt, ut ex *Corn. Agripp. refert Arumæus ad A. B. diſc. 2 th. 20.*

XXI.

Pontificii omnem hic movent lapidem, ut ſententiam ſuam ſtabiliant. Multum enim inde competere exiſtimant Papæ, ſi coronatione deſtitutus Pontificis, nomine Imperatoris non inſigniatur. Hæc enim mens eſt Paparum. Multos hic in teſtimonium citare poſſemus, ſed brevitatis ergò unico contenti erimus. Hadrianus Papa ita ad Epiſcopos Germaniæ ſcripſit: *Romanum Imperium à Græcis translatum eſt ad Alemannos, ut Rex Teutonicorum non ante, quam ab Apoſtolico coronaretur, Imperator vocaretur: Ante Conſecrationem Rex, poſt Imperator. Unde igitur habet imperium niſi à nobis? ex electione Principum ſuorum habet Regis nomen: ex conſecratione noſtra habet nomen Imperatoris, Auguſti & Cæſaris. Ergò per nos imperat.* Unde verò hæc omnia probat? Si Pythagoras eſſet, nosque ejus diſcipuli, inquirenti rationem, diceremus, αὐτὸς ἔφα. *Honorius III.* inquit *Platina in vit. ipſius, Petrum Imperatorem Conſtantinopolitanum in Baſilica S. Laurentii intra muros coronavit:* Ergò imperium habuit ab Honorio Papa, falſum hoc eſſe norunt & illi, qui nondum ære lavantur. Galliæ Rex ab Epiſcopo Rhemenſi, Hiſpaniæ ab Epiſcopo Toletano, Poloniæ à Gneſnenſi Epiſcopo, Hungariæ ab Strigonienſi, coronatur; Ergò regnum ipſorum eſt beneficium coronantium: næ toto erras cœlo, qui id credis. Aſt inquis: jusjurandum hi præſtant Imperatores? ſit ita, quid tum? Primò non eſt jusjurandum, per quod in rebus ſecularibus Imperator obſtringitur, ut vult Papa, *Clement. de jurejur. Capit. Rom. Princip.* ſed fidei, & defenſionis, ut optimè ibidem Heinricus VII. defendit. Deinde idem Conſtantinopolitani Cæſares ſuo fecere Patriarchæ. Coronandus enim jurabat ante omnia de conſervandâ religione orthodoxa per ſacroſancta ac vivifica crucis ligna: cavebat etiam de confirmandis juribus & privilegiis Eccleſiæ: hoc facto, ſtemmate demum aureo coronabatur, ut pluribus deducit ſæpius laudatus *Freberus p. 184.* Quæſo,

quis Romanus Pontifex coronavit Imperatores Conſtantinopolitanos? Quis ante Conſtantinum conſecravit Ethnicos Imperatores? Et quis ante Carolum M. Chriſtianos Cæſares? Ergò coronationem & conſecrationem præciſè non eſſe neceſſariam videt. Sed quid? Annon Imperator, Auguſtus aut Cæſar quis eſt ante coronationem? Igitur Ludovicus III. Conradus I. Henricus I. Berengarii etiam ab Italis Cæſarum nomine honorati, Rudolphus I.& II.multique alii non fuerunt Cæſares,quippe qui coronationem Papalem nunquam deſideraverunt. Conſtantinopolitani etiam, qui poſt tempora Caroli M.imperium tractarunt (duos hic excipimus Balduinum & Petrum à Papa coronatos *Sigiſmund.Seld. S.R.I.ViceCancell.in conſilio ſuo ad Ferdinand.)* non fuerunt Imperatores, quos tamen honore eo mactat ipſe Papa, ut patet ex *C.Hadrianus 63.diſtinct.*&c. *ſolitæ de major. & obed.* Et quamvis concedamus coronationem facere Imperatorem, quid dicet Papa, anne in imperio Romano Germanico duo fuere Imperatores. Ludovicus enim Pius vivus adhuc Lotharium coronari voluit à Papa Paſchali: idem viciſſim fecit Lotharius in Ludovico,& Otto I. in filio ſuo Ottone. Si itaque coronatio facit Imperatorem, filii æquam cum Parentibus imperium adminiſtrandi habuere poteſtatem. Scilicet.

XXII.

Reſtat ut etiam ſecundum Capituli noſtri ductum de Germanica dicamus. Hanc neceſſariam eſſe dicimus partim propter ordinationem imperialem *A.B. tit.25.* R.A. zu Worms *Anno 1521 in præf.* Unſre Krönung zu föderſt in der Stadt Aach. partim propter antiquam & laudabilem conſuetudinem. R.A. zu Augſpurg. *Anno 1566 in præfat.* ibi und löblichen Gebrauch. Circa ipſius Coronæ materiam mirum, quomodò in alia omnia eant Autores: ferream faciunt alii; ſunt qui argenteam dicant. Nos ſi fides oculatis teſtibus habenda, ex puro auro fabrefactam eſſe dicimus. *Balb lib.de coron. c 21. Hartm. Maur. in relat. de coron Carol. §.inſuper coronam Caroli* &c. apud *Goldaſt. part.3. polit.imp. p 260. in fin.* & *p.271 in fin. Buxtorf. ad A.B. th 46.* De hac coronatione ſic Innocentius: *Et quoniam dux prædictus nec ubi debuit, nec à quo debuit coronam & unctionem accepit, memoriam*

riam

tatus verò Rex & ubi debuit, videlicet Aquisgrani & à quo debuit ſcil. à venerabili fratre noſtro Colonienſi utrumque accepit. Duo hic requirit Papa. Locum ubi debet fieri, eſt Aquisgranum, quod etiam per Carolum IV. in *A.B. tit.25* cautum eſt, à quo recedere noluit Carolus V. in Imperatorem coronandus, qui de peſte Aquisgrani graſſante nonnihil admonitus, reſpondit ſe conſtanter decreviſſe, nullibi niſi in antiqua Carolorum ſede regni diadema aſſumere. *Hartm. Maur. de coronat. Carol V.* Sed locus ille hactenus ita ſtrictè non eſt obſervatus, cum multos in ipſo electionis loco coronatos fuiſſe conſtet. Ferdinandus I. & II. Maximilianus II. & Matthias I. Francofurti, Rudolphus verò Ratisbonæ coronati fuerunt. Ipſe coronandi actus eſt Colonienſis ArchiEpiſcopi, cui & aſſentitur *A. B. tit. 4.* Cum enim Moguntino jus convocandi & interrogandi, Trevirenſi primò cenſendi poteſtas & dignitas data, quid obſtat ſi Colonienſi jus coronandi Regem aſſignemus, cum verba *A B. cui competit dignitas, nec non officium Romanorum Regi primum diadema regni imponendi*, clara ſint & perſpicua. Tum autem Colonienſi competere negamus, ſi nondum Epiſcopali pallio veſtitus ſit, cum conſecrare, inungere, & coronare Reges ſit muneris Epiſcopalis, quod Epiſcopus electus ante pallium acceptum expedire non poteſt. *C. niſi ſpecialis 3. C. ad honorem 4.* Hinc alius Elector Eccleſiaſticus ſuccedit: In coronatione Maximiliani II Rudolphi II. & Matthiæ I. Moguntino coronandi dignitas delegata eſt: Eleonoræ verò Imperatricis coronationem Anno 1630. cum nec Moguntinus, nec Colonienſis eſſent infulati, ArchiEpiſcopus Trevirenſis peregit.

XXIII.

Cum igitur hæc coronatio pura puta ſit ceremonia, quæ functione miniſteriali Imperatori præſtatur, nulloque modo examinationem vel approbationem ſecum ferat, non perſuadet Innocentius, quod jus & auctoritas examinandi perſonam electam in regem, & promovendum ad Imperium ad ſe ſpectet. Quod jam dudũ ſtatuere veritus non fuit *Nicolaus Cuſanus Cardinalis libro 3. Concord. Cathol. c. 4.* Cujus verba è multis pauca adducam: *Unctio, inquit, & coronatio, quos etiam legimus aliis Regibus tribui, nec arguunt in Papâ majoritatem, ſuper ipſam electionem confirmandam, vel infir-*

infirmandam, vel ſuper ipſum etiam Imperium, quod ad temporalia. Sicut nec unctio, quæ fit Regi Franciæ Rhemis, aut coronatio ipſiusmet Imperatoris per ArchiEpiſcopum Colonienſem Aquisgrani. Et paulo inferius: *Ex quibus patet unctionem & diadema nihil præſtare imperiali poteſtati. Inſignia enim illa, quaſi ad majeſtatem ſacram, quæ imperio ineſt, oſtendendam, materiali viſibili ſubjecto imperii, cum ceremoniis impenduntur, ut ſint ſigna prædicantia admirandam illam potentiam, ſicut ſimilia in Romano Pontifice videmus fieri: Tamen ante omnia talia Papa eſt, poſt electionem. Fuit itaq; in veritate Imperator, dum in liberâ poteſtate habuit imperare, etiamſi vulgò ita non nominaretur.* Hæc Cardinalis, quem exhibet *Simo Schardius JCtus Syntagmate de Imperiali Jurisdictione p.m.361.* Quin concludamus igitur cum *Antonio de Roſellis tractatu de Monarchia parte 1. cap. 48. Non ſequitur: Papa examinat, inungit, coronat: Ergo ex hoc Imperator iſtam poteſtatem habet: Quia eâdem de causa diceremus de Electoribus. Et tamen falſiſſimum eſſet dicere, hos coronantes vel eligentes habere univerſam poteſtatem terreni imperii, vel Principem habere ab illis imperii poteſtatem.* Confer *Lupoldum Papeburgenſem de juribus regni & imperii c.5. & ſeqq.*

XXIV.

Hæc fuit prima Pontificis ratio: Sequitur altera, ab abſurdo. Si enim Papa non haberet jus approbandi, & adeo quoque reprobandi electum, fieret ut ſive Principes in diſcordiâ, ſive concordiâ eligerent ſacrilegum, excommunicatum, tyrannum, fatuum, hæreticum, paganum, Pontifex eum coronare cogeretur. *Sacrilegus,* inquit *Servius, in Eclog. IX. Virg. is eſt, qui ſacra legerit, id eſt, furatus fuerit,* quod deſumſiſſe videtur ex *lib. 1. Satyr 3. v.17. Horat.* Ille autem ſacrilegii reus eſt, non qui abſtulit rem è loco ſacro, e. g. privati alicujus bona (ſolebant enim ſæpius ea in fanis deponi vid *Brodæi Miſcell. lib. 4. c. 17.*) ſed qui rem Deo conſecratam ſurripuit. Ea ſententia & placuit Imperatoribus noſtris *l. 5. ff. ad L. Jul. pecul. Divi Severus & Antoninus Caſſio Feſto reſcripſerunt res privatorum ſi in ædem ſacram depoſitæ ſubreptæ fuerint, furi actionem non ſacrilegii eſſe.* Contrarium tamen placuiſſe Johanni Papæ videre eſt *XVII. quæſt. 4. & 5.* Ingens autem eſt crimen ſacrilegii: inde ſacrilegus pellitur à ſacramentis Eccle-

ſiæ

ſiæ *ita ut nemini fidelium miſceantur. Cauſ. XVII. quæſt. 3. c. 5. c. 8. c. 21.* Apud Athenienſes pœna ſacrilegii manifeſti fuit capitalis. *Xen. lib. 1.* Ἀπομνημον. Κατὰ γὰρ τοὺς νόμους, ἐάν τις φανερὸς γένηται ἱεροσυλῶν, τούτῳ θάνατός ἐστιν ἡ ζημία. Eadem pœna fuit ſtatuta à Dracone, *Plutarch. in Solon.* teſtis eſt: Μία γὰρ ὀλίγου δεῖν ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία, θάνατος· ὥστε καὶ τοὺς ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν, καὶ τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώραν ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις. Imò nefas fuit illos in terra Attica ſepeliri. vid. *Kirchmannum in append. ad libr. de funer. Rom.* Olim *Paganus* opponebatur militi, *Plin. lib. 10. ep. 18. Et milites & pagani certatim ei, quà privatim, quà publicè teſtimonium retribuerunt. Sueton. Auguſt. c. 27. Nam & Pinarium equitem Romanum cum concionante ſe admiſſa turba paganorum apud milites ſubſcribere quædam animadvertiſſet* &c. *Juvenal. Satyr. 16. v. 33.*

— — *Citius falſum producere teſtem*
Contra paganum poſſis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati, contraq; pudorem.

Originem *Johannes Britannicus interpr. hujus Poetæ* inde deducit, quod Roma, teſte *Dionyſio Halicarnaſs. lib. 4.* diviſa fuerit in tribus quatuor, pagos nominatas, in quibus habitantes pagani dicti fuerint, qui in nullam aliam habitationem transferri potuerint. Non capio ſenſum horum verborum: Vero ſimilius videtur, quod cum pagani ruſtici, κωμῆται dicti fuerint, inde paganum ἀστράτευτον notare, quia hi de opere ſuo ſolum ſolliciti arma & gladios militibus relinquant. Poſterioribus temporibus paganus Ethnicum notavit, ἄπιστον, quales homines antea nationes ſive gentes vocabant. De ratione inter Autores non convenit. Vide ſis *Doctiſſimum Rittershuſium in Analect. Obſervat. ad Salvian. p. 564.* Placet *Deſiderius Heraldus in animadverſ. ad Arnob Edit. Lugdun. p. 4.* qui inde appellatos cenſet, quòd ſub Imperatoribus Chriſtianis (ſub Conſtantino potiſſimum id factum videtur) cum omnes ferè fidem Chriſtianam amplexi eſſent, horum religio coartata in agris & pagis tantum hæſerit. Subſcribere huic ſententiæ videtur, quem ipſe etiam in teſtimonium citat, *Prudentius lib. 1. contr. Symmach.* ubi

Sunt

Sunt hæc barbaricis gentilia numina pagis
Quos penes omne ſacrum eſt, quicquid formido tremendum
Suaſit. Quod etiam innuit idem Prudentius, quando Romanum martyrio coronandum ita gentilis alloquentem inducit: *Non erubeſtis ſtulte, pago dedite.*

XXV.

Quid ergo? Eſtne tam grande inconveniens, ſi contingat eligi ſacrilegum, excommunicatum, & deinceps, quod Papa cogatur eum coronare? Quod nobis tantiſper negare licebit, donec id aliter Papa Innocentius probet, quàm per ſuum, *abſit.* Quin enim ſacrilegi, excommunicati, tyranni, fatui, hæretici, pagani ſummum imperium habere poſſint, & habuerint ſæpiſſimè adeoque reverâ ſummi Principes audiverint, non eſt dubium, quidquid fiat de coronatione Papali.

CAPUT IV.

Ubi examinatur Pontificia confutatio.

I.

AGgreditur Pontifex Principum intentionem confutandam. Theſis Principum: *Legatus Pontificius neq; Electoris geſſit perſonam in approbando Ottonem & reprobando Philippum, neq; cognitoris. Ergo nullo jure egit.* Concedit utrumque Pontifex: *Non Electoris, quia nec fecit aliquem eligi, nec elegit. Non cognitoris; Quia eligentium factum neq; confirmavit, neq; infirmavit.* Id eſt: Non magis alteri eligentium parti favit, quàm alteri: Electores uni parti adhærentes non præhabuit alteri. Ideoq; electionem, quantum ad eligentes non improbat: ſed quantum ad perſonam electam. Quid ergo? Datur tertium, ait Innocentius. *Nempe denunciatoris egit perſonam.* Quid ergo denunciauit? Philippum privatum eſſe per ſententiam Papæ ſperatâ dignitate, tanquam inidoneum, ad imperium obtinendum. Cur verò inidoneum: *An propter ſtudia eligentium, quod Electores ſtudio partis Philippeæ id fortaſſe dederint?* Minimè. Jam ante enim prædixerat Pontifex, ſe factum eligentium non incuſare. Et ſi propterea impugnata fuiſſet electio, citandi fuiſſent utique Electores, & locum habuiſſet Principum objectio. *Ergo propter me-*

rita

rita electorum, id eſt, eorum, qui electi erant. Ergo electio fuit reprobata, non vitio eligentium, ſed merito eorum, qui electi erant. Benè ſcilicet merito Ottonis, male-merito Philippi.

II.

Ergone nihil habet Pontifex, quod circa actum Eligentium deſideret? Ita præ ſe fert. Sed ſtatim vela vertit. Et primum electioni Philippi opponit paucitatem Electorum. Plures enim in Ottonem conſenſiſſe ait: Sed falsò. Videantur Hiſtorici ſupra à nobis allegati. Et ait *Hoſtienſis, ſolum Colonienſem & quendam alium in Ottonem conſenſiſſe.* Deinde vitioſum electionis actum pronunciat, quod fautores Philippi, abſentibus aliis & contemtis eum eligere præſumſerunt, cum explorati juris ſit, quod electioni plus contemtus unius, quam contradictio multorum obſiſtat. Et facit huc *c. quod ſicut 28. ibi:* quod ſi eos non vocatos fuiſſe. *c in geneſi. ss. X. de Elect. & el. pot. can. obeuntibus 30. inf. diſtin. 63.* Hocque accidit in Cunrado III. cuius electionem Saxo & Henricus Bavariæ Dux, quod non invitati eſſent, planè improbarunt. *Sigon. lib. 2. de Reg. Ital.* Sic cum in electione Maximiliani I. Ladislaus, qui Bohemiæ imperabat, non vocatus eſſet, tàm ægrè tulit, ut non ſolum arma minatus fuerit, ſed & electionem ante ratihabere noluerit, quam ſub pœna 500. marcarum auri, ne in poſterum præteriretur, transactum eſſet. Unde non ſolum electionis actum vitioſum ſed & Electores eligendi jure privatos fuiſſe Pontifex concludit. Tertium, quod in electionis actu deſiderat, eſt, quod nec ubi debuerit, nec à quo coronam & unctionem acceperit Philippus. Debuiſſe enim Aquisgrani & ab Epiſcopo Colonienſi accepiſſe:

III.

Jam pergit Pontifex ad alteram Principum objectionem: At non debuit Pontifex ſtatim ab exſecutione & condemnatione incipere: ſed ab accuſatione. Reſpondet dupliciter: primo, quod manifeſta impedimenta Philippi non accuſatione, ſed condemnatione indigeant. Deinde ſi maxime impedimenta nulla fuiſſent, tamen Pontifici ius eſſe, ſi vota Principum ſint paria, alterutri parti accedere, ſeu favere. Quod jure pariter & exemplo probari ait. Ex jure: Quia Apoſtolica ſedes advocato

non debet carere,ob culpam alienam. Ergo ſi Principibus de perſonâ eligendâ non convenit,Papa alterutri favere poteſt, ut defenſorem accipiat. Ergo Electoribus negligentibus Imperatorem eligere,Papa eliget,& ſi plures electi ſunt, de jure utriusq; cognoſcet & definiet,& ſi aliqua partium contumax fuerit, non obſtante ipſius abſentiâ in causâ procedet,&,ſi omnia pariaſunt, favere poterit,cui voluerit. Scilicet hæc ſunt τερίσματα Canoniſtarum.Quæ omnia gratis dici ex ſuperius traditis conſtat.

IV.

Imperatorem Innocentius appellat Advocatum Eccleſiæ. Advocare eſt cogere,qui adſint & conſilium ſuggerant in judicio periclitanti ut oſtendit contra Lipſium *Clariſſimus Gronovius Avunculus omni pietatis cultu mihi venerandus in not. ad Senec.p.84.* Sic Demipho in *Phorm. Terent. act. 1. ſc.1.* inquit : *at Ego Deos penates hinc ſalutatum domum divortar. inde ibi ad forum, atque aliquot mihi amicos advocabo,ad hanc rem qui adſient.* Inde advocatus,qui præſentiam ſuam ita commodat amico, & advocatio, pro numero hominum in hanc rem convocatorum. *Plaut. Epid. act.3.ſc.3. Res magna amici apud forum agitur : ei volo ire Advocatus :* Idem *Pœnul. act 3.ſc.6.factum à vobis comiter : bonam dediſtis advocati operam mihi : Cras manè quæſo in comitio eſtote obviam.* *Cicero pro Quint.c.14. nil hoc tanto negotio,nil tam invidioſo judicio, nil tam copioſa advocatione uterer ſi petendum eſſet.* Hinc advocationem petere eſt *Ciceroni lib.7. ad famil ep.XI.* contendere à pratore ſ. illo qui juriſdictioni præeſt tempus advocandi amicos & cum iis conſultandi de re,ob quam quis & in jus vocatus, vel litem expertus. Sub Imperatoribus Advocatus pro patrono cauſſarum & reorum defenſore uſurpari cœpit. Res clara eſt ex *Dial. de corr. cauſſ. Eloq. c.1. horum autem temporum diſerti, cauſſidici, & advocati, & patroni, & quidvis, potius quam Oratores vocantur.* Sed quare Innocentius vocat Imperatorem Advocatum & defenſorem? quia ſcil. Eccleſia Romana eſt ſub tutela Imperatoris,adeoque Imperator tutor honorarius : *Res humanæ,* inquit, *Leo Pontifex in canon. res autem 23.quæſt. 5. non aliter tutæ eſſe poſſunt,niſi quæ ad divinam confeſſionem ſpectant, & Regia & Sacerdotalis defendat autoritas.* Videtur autem tutela illa in Carolo M.initium

M. initium habuiſſe, quippe qui ſubjugata Italia, Deſiderioque Longobardorum Rege ejecto, ipſe Romam profectus, à Papa, Clero, atque Populo, condito Senatuscoſs. quod decretum Adriani Papæ appellatur, Patricius Romanorum & Advocatus Romanæ Eccleſiæ creatus eſt.

V.

Sequitur probatio Pontificis ab exemplo Conradi & Lotharii: Sed falsò cauſſam, quare Lotharius retinuerit imperium in coronationem transfert. Res ita ſe habet. Deceſſerat Henricus V. ſuperſtitibus ex ſorore ſua Hagna nepotibus Friderico Duce Sveviæ & Conrado Duce Franciæ. *Mut.lib.17.* Principes imperii Moguntiæ conveniunt ibique habito de ſucceſſore conſilio, unum ex quatuor optimatibus (erant ii Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Svevorum, Leopoldus Marchio Orientalis, & Carolus Comes Flandriæ *Godefr.Viterb p.509.*) ſucceſſorem deſignare laborant. Lothario tandem quamvis acriter renitenti imperium ingeſtum eſt. Malè id multos habuit, imprimis quod nepotes Henrici dignitate tanta privati eſſent. Vnde Lotharius periculum imminens ſentiens in id incubuit, ut autoritati nepotum illorum quid detraheret. Inde Honorium Papam excommunicationis fulmine percuti eos jubet, quo illi non exterriti (horrificaverat enim hoc dignitatem illorum) copias contraxere. Conradus à fratre & quibusdam aliis Rex creatus in Italiam movet, primum Mediolani, corona ferrea ab epiſcopo coronatus: *Mut.* Sed cum nec ibi res ex animi ſententia ſuccederent, nec fratris res in Germania florerent, gratiam pacis intercedente Bernhardo Abbate Claræ vallenſi, *Vrſpergenſ.* cum Lothario reconciliat, depoſitaque regia appellatione ſuis contentus vivit. Circa coronationem ipſam Lotharius, ſi vera ſunt quæ vulgò narrantur, veſaniam ſuam, immane quantum prodidit. Ad pedes enim ſe Papæ dejecit, & confirmatis Papæ primum honoribus coronam à manu eius recipere non erubuit. Unde poſteà in ſummum Imperatoris ludibrium in Laterano Hiſtoriam coronationis depingi curarunt, Innocentio Pontificali inſidente cathedræ, & ad genua ſua provolutum habente Imperatorem ſubnexis ſeqq. verſic.

Rex venit ante fores jurans prius urbis honores:
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

VI.

His ita præmiſſis incipit Pontifex recenſere impedimenta Philippi, quæ ſunt *excommunicatio, perjurium, perſecutio Eccleſiarum.* Excommunicatio gravis olim diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſeveritas, præſertim major illa, quæ non tantum à perceptione ſacramentorum, ſed etiam à conſuetudine & ſocietate fratrum aliorumque fidelium repellebat. *cap pen. de ſentent excomm* Hinc excommunicatus Satanæ tradi dicitur *c. 11. q. 3. c. 32* à corpore Chriſti ſeparari nec Spiritu ejus vegetari: *ibid. c. 33.* Ita in Eccleſia Græca excommunicati ſegregantur à conjunctione Patris, filii & Spiritus S. nec non à communione trecentorum & octodecim Spiritu Dei actorum Patrum Nicænorum omniumque ſanctorum, ita ut ipſos eadem, quæ Diabolum & Judam maneat hereditas. *Chriſtoph. Angel. de ſtatu & ritib. Eccleſ. Græc c. 25.* Sed Philippi excommunicatio ita habebat. Apulia cum Sicilia & Calabria imperio Henrici VI. jure belli ceſſerat. Sed ille Herculis ſidere procreatus eſſe videbatur. Ita quaſi ab angue Lernæo cæſa hoſtium capita de ſanguine ipſo renaſcebantur. Gens ſub ſuo Rege, ſuisque legibus vivere conſueta, ſervitutis jugum pati neſcibat. Igitur Imperator omnia, quæ rebellionis materiam eſſe putabat plane tollebat. Reginam Apuliæ Sybillam in monaſterium mulierum Hohenburg, quod eſt in Alſatia mittebat. *Mut in Chron.* Vades inſuper quosdam ex Apulia adducebat, ut de ſubjectione, & fidelitate certior eſſe poſſet, inter quos erant Archiepiſcopus Salernitanus, Duo Comites Germani fratres, ut & quidam, qui piraticam fecerat, nomine Margaritus. *Vrſpergenſ. in ann. Henric. VI.* Sed nec ſic deterreri potuerunt, quin fidem ſæpius datam more ſuo perfidiſſimè violarent. Henricus licet ab armato hoſte etiam pœnas expetiturus erat, de obſidibus tamen etiam ſupplicium ſumere voluit. Oculis ergo omnes excepto illo Archiepiſcopo privari, privatosque in ulteriori cuſtodia detineri juſſit. Poſt mortem Henrici miſit ad Philippum Papa Epiſcopum Sutrinum ad repetendum ab eo vades & imprimis Archiepiſcopum Salernitanum. Philippus non ſolum Papæ ob-

pæ ob-

pæobſides remiſit, ſed ut ab eodem Epiſcopo audivit de ſententia excommunicationis. *Vrſpergenſ.* (ergò non publicè & ſolenniter vinculo excommunicationis erat innodatus) eundem, ut ſe abſolveret, rogavit. Annuit petito Legatus. Papa autem, quod illicitè eum abſolvendo fines mandati exceſſerat, privatum Epiſcopatu in quandam inſulam relegavit *Vrſpergenſ.* Dicis : Ergò non eſt electus excommunicatus; Reſpondet Papa, imò eodem excommunicationis vinculo eſt innodatus, quia abſolutio illa Epiſcopi non poteſt non eſſe irrita, quia eum, qui à Papa excommunicatus, Epiſcopus propria autoritate abſolvere non poteſt. Addit, quod nec licuerit illud facere jure legationis, cum legato mandata migrare Domini ſui conceſſum non ſit.

VII.

Sutrinus autem Epiſcopus dicitur à loco cui fuit præpoſitus, Sutrio nimirum unde illud Plautinum, *cum cibo ſuo venire quaſi eatur ſutrium, quod Feſtus explicat: ſutrium quaſi eant, utique in proverbium abiit ex hac cauſſ i. Gallico tumultu quondam edictum eſt legiones ſutrii ut praſtò eſſent cum cibo ſuo quod uſurpari cæptum eſt in iis, qui ſuis rebus opibusq́; officii quid præſtarent (ſic legendum eſſe in literis ſuis docuit me Magnificus Dn. Reineſius) quibus deberent.* De Archiepiſcopo Salernitano Idem ille, *qui multa tenet antiqua, ſepulta Reineſius* in nuperrimis ſuis ad me: *Salernitanus Archiepiſcopus fuit Romualdus ſeu Rumoldus cognomine Guarna (cognomen hoc reperi apud unicum Johannem Ant. Summont. qui res Neapolitanas lingua populari ſcripſit, editq́; Neapoli Anno 1601.) familiaris Wilhelmi II. Siciliæ Regis ſcriptor Chronici & Concordatorum inter Fridericum I. Imperat. & Alexander III. P. R. ao. 1177. Iſte Romualdus & fratres ejus tanquàm fautores Tancredi antiCæſaris & conjurationis adverſus Henricum VI. conſcii una cum Sybilla vidua Wilh. & filio Rogerio (falsò Wilhelmum III. adpellari à nonnullis ſcribit Fazellus) ex filiabus tribus captivus in Germaniam fuerat miſſus ao. 1195. & cuſtodiendus traditus Vecilio Bercenſi, quem Bzovius ex epiſtol. Innocent. Wicelium Berclejum vocat. Ita Sigon lib. 15. de regn. Ital. Potuit & inter vades Apuliæ eſſe, de quibus Nauclerus.* Huc usque ille.

VIII. Quod

VIII.

Quod attinet Marcoaldum, hic eſt Marquardus de Anvvieler, qui cum dapifer & miniſter eſſet Henrici, ab eo dimiſſus, ducatu Ravennæ & Romaniæ, cum Marchionatu Anconæ honoratus eſt. *Vrſp.* Seniſcalcus imperii generalis dicitur *Naucler. gener. c. 40.* Eſt autem ſeneſcalcus Regiæ menſæ præfectus, Oeconomus ſive architriclinus. *Voſſ. de vit. Serm. lib. 2.* Illuſtris fuit hæc dignitas tempore Caroli M. ut ex *Hincmaro Rhem ep. 3. c 16. & 23.* idem pluribus demonſtrat. Perfidum hunc vocat, quia cum tutorem regni profeſſus eſſet, viam ad regnum occupandum affectans, à Conſtantia matre Friderici hoſtis regni judicatus erat. Dei autem & Eccleſiæ inimicus erat, quod ab Innocentio ob Patrimonium D. Petri devaſtatum excommunicatus erat. Imputat autem ei quod Fridericum poſſeſſione maternâ privet. Duxerat enim Henricus vivo adhuc Patre ſuo Friderico-Conſtantiam Rogerii Regis Siciliæ neptem Guilielmi I. filiam, quo mortuo, cum filius Guilielmus II. imperii heres non diu ſuperſtes eſſet, regnum Apuliæ & Siciliæ affini ſuo Henrico reliquit. Hinc poſſeſſionem maternam vocat, quia mater ejus regno Siciliæ quaſi dotata Patri Henrico nupſerat.

IX.

De excommunicatione primo notorio crimine prolixè ſatis egit Innocentius: ſuccedit alterum, cujus Philippum inſimulat, quod eſt perjurium manifeſtum. Jure civili in perjuros nulla pœna conſtituta ſi per Deos pejeraverint, contra ſi per Imperatoris venerationem pœnis præſentibus caſtigantur *l. 13. §. ult. ff. de jurej.* Scilicet jusjurandum perinde æſtimandum, quam ſi quis Jovem fefelliſſet: deorum injuriæ Diis curæ ſunt, ut in accuſatione *Rubrii Tiberius*, dicebat. Tacitus *1. Ann. c. 73.* Inde creditum priſcis, eos, qui pejerando Deos lædere veriti non fuiſſent, aliqua corporis parte debilitari mutilarique, vel ſtatim ab ipſis puniri. Res clara eſt ex *Horat. lib. 2. od. 8.* ubi perjuræ meretrici non ſolum nullam earum, quas ridiculé narrat, pœnarum, inflictam eſſe memorat, ſed eam etiam multò jam pulchriorem melioremque in publicum prodire mirabundus refert. Ita à Jove ſolere ejusmodi violatores fulmine tangi ex Luciani Timone, & Ariſtophane probat

ne probat *Turneb. Adverſ. 25 c. 9.* ab Iſide autem oculis privatos obſervat *Andreas Schott. obſerv. hum. lib. 1. c. 6.* Hæc omnia licet ſuo modo ſtare poſſint, tamen in perjuros pœnam etiam conſtitui ab Legislatoribus non ſolum utile, ſed & neceſſarium eſt. Laudandi eo nomine Ægyptii, quibus perjuri ſupplicio capitis afficiebantur, quod duplici ſe ſcelere polluiſſent, puta, lædendo pietatem erga Deos, & fidem, quæ humanæ ſocietatis firmamentum eſſet, violando. *Diodor. Sic. Biblioth. Hiſt. lib. 2. cap. 3.* Acres etiam in delicti hujus cenſura videntur fuiſſe Honorius & Theodoſius Imperatores: in criminalibus enim, ſi pejeraſſent dignitate ſpoliari voluerunt quippe qua ſe per ſuum periurium indignos probarint, ut in eos utpote illuſtri dignitate per ſuum facinus privatos inconſulta etiam principum pietate judicibus legum ſeveritatem exercere liceat. *l. 17. lib. 12. C. de dignit.* Jure Canonico non ſolum non debent promoveri ad honores, ſed etiam ſi promoti ſint, debent repelli *capit. querel. de jurejur.* Et hæc mens etiam eſt Innocentii. Cur autem perjurum vocet, illud ipſe inferius probabit. Quod attinet Philippum, promiſerat is vivo adhuc Henrico, filio ejus, jurejurando fidelem ſe fore, non ſolum ut patruum decebat, ſed effecturum inſuper, ut cum Rex Romanorum jam electus eſſet, poſt mortem Parentis Imperator quoque conſenſu Principum creari poſſet. Hoc Papa eum violaſſe putat, quia ambitionis vitio regnum ſibi jam uſurpare præſumſit, ſed quid tum? ipſe ab aliis electus eſt Imperator; Ergò non poterit dici perjurus: Si vi invaſiſſet imperium, effatum Papæ eſſet verum: jam cum â principibus illud ipſi delatum ſit, nullus non videt, quam benè hæc dicat Innocentius. Accedit quod tutoris autoritas minimè ſufficiebat ad inſtaurandas reipubl. parietinas. Imperatore ergò opus erat, cui dignitati capeſſendæ, cum Fridericus junior eſſet, nemo præter Philippum idoneus erat. Geminum huic eſt quod apud *Juſtin. lib. 7. c. 5.* habetur. Philippus Parens Alexandri M. egerat tutorem pupilli: regnum erat ægrum & fatigatum, imminebant graviora bella, ſerumque auxilium in exſpectatione infantis erat: quid fiebat? Philippus à populo regnum ſuſcipere ſuoque nomine adminiſtrare compellebatur. Par hic ratio: *Cum viderem, inquit Mutius*

lib.19.Chron. multi principes, diſtrahi, quæ erant, imperii propria, in Latio & Sicilia, nec ſatis autoritatis eſſet tutori, quidam Principum elegerunt Philippum in Regem.

X. Sed poterat Philippus excipere neq; ſe jusjurandum violaſſe, quia imperium Friderico non eripuiſſet, ambitionis vitio: neque opus fuiſſe abſolutione cum per ſe impertinens fuerit jusjurandum. Reſpondet Innocentius, quod nihilominus debuiſſet conſulere ſe, abſolutionemque illius jurisjurandi petere. Facit hic pro Philippo Gloſſa: *Unum tamen notandum* inquit, *quod non ſolum in temerariis, ſed etiam in juramentis licitis licet venire contra ſine autoritate ſuperioris, ſi neceſſitas urgeat, nec poſſit haberi ſuperior, à quo petatur abſolutio.* Neceſſitas enim urgebat, nec erat ſuperior qui abſolveret ipſum. Papa enim, licet ſuperiorem eo fuiſſe fingamus, hoc beneficium ipſi non præſtitiſſet, niſi donis eum expugnaſſet.

XI. Jam ad progenitores Philippi movet Papa, quam tamen cenſoriam notam meritò lucrifacere debebat Philippus, Et eſt hoc tertium notorium crimen, perſecutio manifeſta. Primus, quem producit, eſt Henricus, quem tamen, ut à tanto crimine liberemus laborandum erit: facilè autem hoc fieri poterit, ſi illius temporis Hiſtoricorum fidem appellemus: Agebat in Galliis Synodum Paſchalis II Papa, ubi inter multa, quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda, corrigebat, decretum etiam de coercenda Laicorum in Eccleſiaſticas dignitates poteſtate promulgabat. Henricus ut audivit, miſit ad Papam totamque Synodum, nunciavitq; ſe privilegio de inveſtitura clericorum cedere non poſſe. Nec id injuria: Carolo enim M. jam antea id erat conceſſum in decreto illo, cujus jam ſuperius mentionem fecimus, Adriani: *Inſuper*, dicitur ibi, *Archiepiſcopos & Epiſcopos Adrianus ab eo*, ſcil. Carolo, accipere inveſtituras definivit. Idem jus poſteà fuit Ottoni I. Imp. à Leone VIII. Pontifice confirmatum cujus bulla ſuper hac re exſtat *C. in Synodo diſtinct. 63.* Papa, qui in Gallia peregrinus concedit Imperatori inducias, ut de hac re cogitet, donec veniat ipſe Romam. *Urſpergenſ.* Non longo tempore poſt Romam inſtructus exercitu venit, ubi poſt mutuum complexum, cum à Pontifice ſollicitaretur,

tur, de ſe non immiſcendo inveſtituris Eccleſiaſticis, ille non ſolum id denegavit, ſed eundem *Pontificem* ipſum aliter coronare recuſantem, cum Cardinalibus & magna clericorum parte captivum ſub militari cuſtodia ſexaginta & unum dies apud caſtrum quoddam in Sabinis detinuit, donec *Pontifex* nunquam ſe Henricum de inveſtituris Eccleſiarum inquietaturum, aut eum excommunicatione perculſurum promittere coactus fuit.

XII. *Pergit* ad Fridericum *Pontifex*. Hic eſt Fridericus ille à rufa barba Ænobarbus (Italis Barbaroſſa) nominatus filius fratris Conradi Imperatoris, Imperator ipſe rebus geſtis clariſſimus. Imprimis laudandus illo nomine quod papam in ordinem redigere, ejusq; poteſtatem circumſcribere in animo habuit: Majori ſané laude dignus, ſi propoſiti tenax fuiſſet. Primus, cum quo contendit, fuit Hadrianus Papa, qui in literis ad Imperatorem, dignitatis & honoris plenitudinem, coronamque imperialem ſe ei contuliſſe, gaviſurumque ſi majora beneficia ei conferre poſſet, ſcribere non erubuerat. Mortuo Adriano duo de principatu Eccleſiaſtico certabant Alexander, & Victor. Fridericus utrumque jubet ad ſe Papiam venire, ut cauſſa eorum per prudentes & ſapientes cognita juſtè in tanta re judicetur. Alexander non confidens Friderico, cujus tam apertè ſemper hoſtis fuerat, Anagniam ſe confert. Fridericus animo oppidò iniquo fert, quod fidei ejus ſe credere noluerit. Mittit ergò legatos, qui, ut ad Papienſem Synodum veniret, imperarent: in illa legatione nominat eum Imperator Cardinalem; id quod non mediocriter commovit Alexandrum, ut reſponderet, Romanum Pontificem à nemine judicari debere. Victor vero vocatus ab Imperatore comparet: hunc Synodus Papienſis uno omnium conſenſu Papam declarat, Cæſarque eum Papam ſalutat, equumque ejus majorum more per urbem deducit. *Mut. lib 8.* Hæc fuit origo & cauſſa ſchiſmatis illius, quod per 20. annos duravit: eam ſi inſpexiſſet Innocentius, Fridericum eo nomine inter perſecutores referre nullo jure potuiſſet.

XIII. Hæc de Friderico. Quid jam de Henrico fratre Philippi? Sanè plurima Inter quæ iſtud, quod *Auximianum Epiſcopum alapis cædi fecerit, & Pilos de barba evelli.* Si M. Papirius

Gallum

Gallum barbam manu tantum permulcentem ferre non potuit, nec ſe continere, quin ſcipione eburneo in caput incuſſo ſe ulciſceretur *Liv. lib. 5 c. 41.* multò major ſanè injuria & ignominia erit, pilos è barba planè evellere, quod quamvis olim inter modos depilandi fuerit, ſi fides *Martiali lib. 8. ep. 48.*

Pars maxillarum tonſa eſt tibi, pars Tibi raſa eſt,
Pars vulſa eſt; unum quis putet eſſe caput?

tempore tamen illo planè exoleviſſe videtur. *Feudor. lib. 2 de pac. ten. § ſi quis aliquem ceperit,* vocatur barbam expilare, & delictum hoc perpetranti pœnæ loco injungitur, ut decem libras ei, cui injuria illata eſſe videatur per compoſitionem impendat, judici verò viginti libras perſolvat.

XIV. Sequitur μετάϛαϲις quâ à principibus ipſis doloſus ille captator argumēta perſuadendi ſumit: ſed ſunt illa ficulnea, ex quibus nil prętcr plebejum vanæ opinionis ſuccum exprimere poſſis. Tum enim electio ceſſaret, nullusq; niſi ex domo Ducum Sueviæ ad majeſtatem imperialem evehi poſſet, ſi Fridericus Conrado, vel Henricus Friderico ſucceſſiſſet jure hereditario, non electione conſenſu principum facta Sed cum electos eſſe à principibus conſtet, non prolixi erimus in his refutandis, cum pluribus hac de re actum ſit. Viderit Innocentius, ne eo ipſo, quo obtrudere principibus Ottonem voluit, eos libero eligendi arbitrio privare in animo habuerit.

XV. Tandem ad caput rei accedit: ſcopus Epiſtolæ erat perſuadere duci Zaringiæ, ut Philippi partibus relictis Ottoni adhæreret: in eo autem minus ſe impetrabilem fore confidebat, ſi aperte rem ipſam loquens nulla circuitione uteretur: dignitatem igitur Principum primo extulit, deinde de ſua poteſtate quid addidit, Philippiq; flagitia commemoravit: His jam præmiſſis ut Ottonis partes eligat, Ducem adhortatur *in Domino & per Apoſtolica ſcripta mandat.* Sanam mentem Menecrati! quænam hæc ſunt Apoſtolica ſcripta! mea reſpondebit Innocentius: gerræ Siculæ, de quibus tamē nil addimus, ne falcem in alienam mittamus meſſem. Meminerit modò, quomodo conformem Apoſtolis agat vitam, quam pulchre explicat *Michael Apoſtolius proverb. Centur. 3. prov. 85.* Ἀποστολικὴν διάγεις πολιτείαν ἐπὶ τῶν ἀγαθῶς καὶ θεαρέστως βιούντων. ἔστι δὲ αὕτη· ὀφθαλμῶν ἀνεπίστασία, γλώσσης ἐγκράτεια, σώματος δουλαγωγία, φρόνημα ταπεινὸν, ἐννοιῶν καθαρότης, ὀργῆς ἀφανισμός, ἀγγαρευόμενος προστίθει, ἀποστερούμενος μὴ δικάζου, μισούμενος ἀγάπα, βιαζόμενος ἀνέχου, βλασφημούμενος παρακάλει, νεκρώθητι τῇ ἁμαρτίᾳ, σταυρώθητι τῷ χριστῷ, ὅλην τὴν ἀγάπην μετάθες ἐπὶ τὸν κύριον.

EMENDANDA.

Cap. 1. §. 1. lin. 7. lege Caringia: eod. cap. §. 3. lin. 29. C Theod. de luſtral. conlat. cap. 2. §. 7. lin. 3. tum. eod. cap. §. 12. lin. 13. Innocentius eod. cap. §. 15. lin. 37. Goldaſt. c. 3. th. 5. lin. 2. pro, Romanorum lege Germanorum.

FINIS.